

ANTONII GOVEANI

IN

M. TVLLII CICERONIS

ORATIONEM IN VATINIVM TESTEM

COMMENTARIIS,

AD

AEMYLIUM FERRETTVM

IURISCONSULTORVM

FACILE PRINCIPEM.



ANTONII GOVEANI

IN

ANTONIUS GOVEANVS

AEMYLIO FERRETTO S. P. D.

ORATIONEM IN VATINIVM TESTEM

**M**ITTO ad te, AEMYLI, *commentarium nostrum in M. TVLLII CICERONIS Interrogationem VATINII testis (neque enim mihi placet VATINIVM Testem fuisse cognomento) quem dum Lutetiae sumus, sine te, hoc est, sine Deo, conscripsimus. Cur ad te mittendum putarim, causae multae fuerunt: duae illae in primis, ut & elicerem abs te doctissimas illas tuas ad me NOTAS in Institutiones Iuris Civilis: teque ego appellando, adesse te, tecum loqui me putarem: leniremque inani hac saltem cogitatione mea consuetudinis illius nostrae desiderium. Vale, & nos, ut facis, ama. Lutetiae VI. Cal. Sep. [M. D. XLII.]*

IVRIS COMSRTORVM

FACILE PRINCIPEM



# ANTONII GOVEANI

I N

M. TVLLII CICERONIS

ORATIONEM IN VATINIVM TESTEM.

COMMENTARIIS.

---

## ARGVMENTVM.

P. VATINIVS in P. SESTIVM, reum de vi, testis productus, CICERONEM quoque SESTII patronum suo testimonio perstrinxit, Cornelianam illi defensionem, exilium, inconstantiam vero praesertim & levitatem exprobrans: quod POMPEII amicus esse coepisset, ad eiusque voluntatem suam de agro Campano sententiam immutasset, C. CAESARIS fortuna & felicitate commotus. Aegre tulit CICERO: VATINIVMque interrogatione hac tripertita, de vi, de Auspiciis, de regnorum donatione, suo concidit arbitrato, dis hominibusque plaudentibus: tantum erat omnium odium in hominem. Acta res ea est III. Id. Martias, CN. LENTVLO MARCELLINO, L. MARTIO PHILIPPO COSS. Interrogatio haec ad quod genus causae referatur, tum qui in ea sit status, frustra quaeri existimo: pars enim est Sestianae orationis, a qua separatam esse mirum nemini videri debet, cum ita FABIVS Lib. v. Cap. de Testibus scribat, Interim adversus testes singulos dirigitur actio: quod insectationis genus & permistum defensionibus legimus in Orationibus plurimis, & separatim editum, ut in VATINIVM testem.

M. TVLLIVS CICERO

I N

VATINIVM.

ENARRATIONIS INITIVM.

CAPVT PRIMVM.

SI TVA tantummodo, VATINI, quid indignitas postularet, spectare voluisssem, fecisssem id, quod his vehementer placebat, ut te, cuius testimonium propter turpitudinem vitae sordesque domesticas, nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem; nemo enim horum aut ita te refutandum, ut gravem adversarium, aut ita rogandum, ut religiosum testem, arbitrabatur. Sed fui paullo in te intemperantior fortasse, quam debui: odio enim tui, in quo, etsi omnes propter tuum in me scelus superare debeo, tamen ab omnibus pene vincor, sic sum incitatus, ut, cum te non minus contemnerem, quam odisssem, tamen vexatum potius, quam despectum, vellem dimittere. Quare, ne tibi hunc honorem a me haberi forte mirere, quod interrogem, quem nemo congressu, nemo aditu, nemo suffragio, nemo civitate, nemo luce dignum



dignum putet: nulla me ad id causa impulisset, nisi ut ferocitatem tuam istam com-  
primerem, & audaciam frangerem, & loquacitatem paucissimis interrogationibus  
irretitam retardarem. Etenim debuisti, VATINI, etiam si falso venisses in su-  
spicionem P. SESTIO, tamen mihi ignoscere, si in tanto hominis de me optime  
meriti periculo, & tempori eius, & voluntati parere voluissem. Sed hesterno  
pro testimonio esse mentitum, cum affirmares nullum tibi omnino cum ALBINO-  
VANO sermonem non modo de SESTIO accusando, sed nulla umquam de re  
fuisse; paullo ante imprudens indicasti: qui & T. CLAUDIVM tecum commu-  
nicasse, & a te consilium P. SESTII accusandi petisse, & ALBINOVANVM,  
quem antea vix tibi notum esse dixisses, domum tuam venisse, multa tecum locu-  
tum dixeris: denique conciones P. SESTII scriptas, quas neque nosset, neque  
reperire posset, te ALBINOVANO dedisse, easque in huius iudicio esse recitatas.  
In quorum altero es confessus, a te accusatores esse instructos, & subornatos: in  
altero inconstantiam tuam cum levitate, tum etiam periurio implicatam refellisti:  
cum, quem alienissimum a te esse dixisses, eum domi tuae fuisse: quem praevarica-  
torem ab initio iudicasses, ei te, quos rogasset, ad accusandem libros dixeris  
dedisse.



ANTVM MODO indignitas.] Non quid etiam odium in te  
meum postularer. INDIGNI-  
TAS.] Indignus is dicitur,  
qui nullo plane honore dignus  
est. Id significare hoc loco  
indignitatem CICERO ipse  
paulo post indicat: Quare, inquit, ne tibi hunc  
honorem a me haberi forte mirere, quod inter-  
rogem, quem nemo congressu, nemo aditu, nemo  
suffragio, nemo civitate, nemo luce dignum putet.  
IIS.] Sestio, & eius tum patronis, tum ad-  
vocatis. Ut pronomen HIC ad reum, eiusque  
tum patronos, tum advocatos, tum etiam ad  
Iudices: ita ISTE & ILLE ad adversarios re-  
feruntur. Sic post paulo, Nemo enim horum  
aut ita te refutandum, ut gravem adversarium.  
SORDES.] obscuritatem. Ita hac eadem ora-  
tione, Habeat hoc praemium tua indignitas, ut  
adolescens turpitudine obscuritate & sordibus tuis  
obtegatur. TACITVS dimitterem.] Sine ulla  
aut interrogatione, aut refutatione. Proprie  
vero dixit DIMITTEREM; ea namque dimittere  
dicimur, quae retinere poteramus; ita testes di-  
mittimus, cum abire iubemus. UT gravem ad-  
versarium.] A quo causa nostra valde prematur.  
AUT ita rogandum.] CICERO in suorum con-  
filiorum ad P. Lentulum explicatione, hanc  
Vatini insectationem Interrogationem vocat.  
Verba haec sunt, Tota vero interrogatio mea  
nihil habuit, praeter reprehensionem illius Tribu-  
natus. Itaque hac eadem oratione, Concludam  
iam interrogationem meam. INTEMPERAN-  
TIOR.] Iracundior. Ita Philip. I. Nimis ira-  
cunde hoc quidem, & valde intemperanter. PRO-  
PTER tuum in me scelus.] Qui furoris Clo-  
diani in me exturbando ab Vrbe per vim, sine  
ullo iudicio, sine ulla lege socius fueris. CI-  
CERO hac eadem orat. Nam quod mihi disces-

sum obiecisti meum, tantum tibi respondeo, me cum  
tu caeteraque Reip. pestes armorum causam quae-  
reretis, odiumque diuturnum, quod in bonis iam  
inveteratum habebatis, saturare cuperetis, scelus  
& furorem vestrum cedendo maluisse frangere,  
quam resistendo. AB omnibus pene vincor.] Tan-  
to odio suis civibus fuit Vatinius, ut in pro-  
verbium abierit, Odium Vatinianum: qui cum  
gladiatorium munus daret, lapidatus a populo  
fuerit. Qua de re ita MACROBIUS Saturnalior.  
lib. II. cap. 6. Lapidatus a populo Vatinius cum gla-  
diatorium munus ederet, obtinuerat, ut Aediles  
edicerent, Ne quis in arenam, nisi pomum misisse  
vellet. Forte iis diebus Casellius a quodam con-  
sultus, an nux pinea pomum esset: respondit,  
Si in Vatinium missurus es, pomum est. Vnde  
CATVLLVM dixisse puto, — Munere isto,

Odissem te odio Vatiniano.

VEXATVM.] Graviter exagitatum. Vexare  
verbum est ingentis calamitatis. CICERO in  
Divinatione, Populatae, vexatae, funditus ever-  
sae provinciae. Idem. II. Verrina, Ita vexavit  
ac perdidit. Idem hac ipsa oratione, Et si ego  
te perditorem & vexatorem Reip. fero, tu me con-  
servatorem feras. VIRGILIUS,

Candida succinctam latrantibus inguina  
monstris

Dulichias vexasse rates.

LVCE.] Spiritu, anima. sic enim pro Roscio  
Amerino, Quid enim tam commune quam spiritus  
viviis, terra mortuis, aqua fluctuantibus, litus  
eiectis? ita vivunt dum possunt, ut ducere animam  
de caelo non queant. In eadem significatione po-  
nitur a VIRGILIO LVX quarto Aeneidos,

Oculisque errantibus alto

Quaesivit caelo lucem, ingemuitque reperta.

PAUCISSIMIS interrogationibus.] CICERO  
in epistola illa ad Lentulum longe optima, sic  
de hac sua Vatinii interrogatione, Tota vero in-



*interrogatio mea nihil habuit aliud, nisi reprehensionem illius Tribunatus: in qua omnia dicta sunt libertate animoque maximo de vi, de auspiciis, de donatione regnorum.*

VENISSES in suspicionem P. Sestio.] P. Sestius suspicatus esset, causam a te suam oppugnari. In orat. siquidem pro Sestio ita de Vatino CICERO, *Non est natio, ut dixisti: quod ego verbum agnovi: est enim illius, a quo uno maxime P. Sestius se oppugnari videt, hominis eius, qui hanc nationem deleri & concidi cupivit.*

MIHI ignoscere.] Ignoscere est poenam praetermittere. CICERO ad Brutum epistola, cuius initium est, *Messalam babes, Sed sceleris, inquit, poenam praetermittere (id enim est quod vocatur ignoscere,) etiam si in caeteris rebus tolerabile est.*

TEMPORI.] susceptae defensioni. ET eius voluntati parere voluissem.] Quod in defensione Sestiana in Vatinius dixerit locis duobus, non tam inimico animo id se fecisse dicit, quam ut Sestii voluntati pareret. SED hesterno pro testimonio.] Probat non falso venisse Vatinius in suspicionem P. Sestio: quare merito fecisse Sestium, qui eum, a quo oppugnari se videbat, voce patroni sui vulnerari voluerit. CVM Albinovano sermonem non modo de Sestio accusando.] CICERO epistolarum ad Q. Fratrem libro secundo, epistola cuius initium est, *Scripti ad te antea superiora, Ad IV. inquit, Id. Februarias Sestius ab indice Cn. Nerio Pupinia de ambitu est postulatus, & eodem die a quodam M. Tullio de vi.* Dicendum ergo est, aut a consilio Sestii accusandi destitisse Albinovanum, T. que item Claudium: aut subscriptores fuisse. Unus siquidem erat actionis princeps: neque a pluribus eodem iudicio, eodem tempore, reus idem postulabatur. Quod si plures reperiebantur, qui eandem delationem postularent, ut in Verris causa Q. Caecilius Niger, & M. Cicero: in causa A. Gabinii de Repetundis T. Nero, & C. & L. Antonii: tum Divinatio fiebat de constituendo accusatore.

PAVLO ante.] Hodierno pro testimonio. Testis idem non semel interrogabatur. IMPRUDENS.] Is imprudens aliquid facere dicitur, qui nescit, se id facere, quod facit. TARENTIVS in Hecyra,

— Equidem plus hodie boni

*Feci imprudens, quam sciens ante hunc diem unquam.*

Contrarius eius est Prudens TARENTIVS in Eunucho,

*Et taedet, & amore ardeo, & prudens sciens, Vivus vidensque pereo.*

INDICASTI.] Indicare est de suo facto confiteri. TARENTIVS in Eunucho,

*Egomet meo iudicio miser tanquam forex hodie perii.*

Idem in Prologo Adel.

*Postquam poeta sensit, scripturam suam*

*Ab iniquis observari, & adversarios*

*Rapere in peiorem partem, quam acturi sumus,*

*De se ipse iudicio erit: vos eritis iudices.*

CICERO ad Atticum, *Indicabo me, inquit, tibi.*

DENIQUE.] Quod signum est intimae cuiusdam familiaritatis.

CONCIONES P. SESTII SCRIPTAS.] Quas Sestius in Tribunatu habuisset, cum de Cicerone reducendo ageretur, ad populum per summam contentionem: cum verisimile est, quaedam ad concitandam multitudinem in Clodianos dixisse Sestium. SCRIPTAS DEDISSE.] Iam enim Caesaris instituto tam Senatus quam Populi diurna acta conficiebantur & publicabantur. SVENTONIVS in D. Iulio, *Inito honore (de consulatu loquitur) primus omnium instituit, ut tam Senatus quam populi diurna acta conficerentur & publicarentur.* In quibus sine dubio conciones erant Magistratum: quemadmodum & in Senatus actis, Senatorum sententiae. IN hoc iudicio.] P. Sestii. ACCUSATORES esse subornatos.] Ut credi tuo testimonio non debeat, cuius consiliis Sestius accusetur. QVEM praevaricatore[m].] Sestii collusorem. Is Praevaricator dicitur, qui non tantum contendit, quantum potest. Porro Albinovanum ideo praevaricatorem existimabat ab initio Vatinius, quoniam lege de vi Sestium postulabat, qua lege absolutum iri videbat. CICERO in calce huius Interrogationis, *Extremum illud est, quod mihi abs te responderi velim, cum multa in Albinovanum de praevaricatione diceres, dixeris ne nec tibi placuisse, nec oportuisse Sestium de vi reum fieri: quovis crimine, quavis lege accusandum potius fuisse.* AB initio.] Cum primum Sestii nomen de vi deferre vellet.

## CAPVT SECVNDVM.

*Nimum es vebemens, feroxque natura, non putas fas esse verbum ex ore exire cuiusquam, quod non iucundum, & honorificum ad aures tuas accidat, venisti iratus omnibus: quod ego, simulac te adspexi, prius quam loqui coepisti, cum ante GELLIVS, nutricula seditiosorum omnium, testimonium diceret, sensi, atque providi;*



repente enim te, tanquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti: ut mihi renovatus ille tuus in te veterem eum amicum, sed tamen familiarem suum defenderim, cum in hac civitate oppugnatio soleat, qua tu nunc uteris, nonnumquam, defensio nunquam vituperari. Sed quaero a te, cur C. CORNELIUM non defenderem? num legem aliquam CORNELIUS contra auspicia tulerit: num Aeliam, num Fustiam legem neglexerit: num consuli vim attulerit: num armatis hominibus templum tenuerit: num intercessorum vi deiecerit: num religiones polluerit: aerarium exhauferit: rempublicam compilarit. Tua sunt, tua sunt haec omnia. CORNELIO eiusmodi nihil obiectum est. Codicem legisse dicebatur; defendebatur, testibus collegis suis, non recitandi causa legisse, sed recognoscendi. Constabat tamen, CORNELIUM concilium illo die dimisisse, intercessionem paruisse. Tu vero, cui CORNELII defensio displicet, quam causam ad patronos tuos, aut quod os afferes? quibus iam praescribis, quanto illis probro futurum sit, si te defenderint, cum tu mihi CORNELII defensionem in maledictis obiciendam putaris. Attamen hoc, VATINI, memento paullo post istam defensionem meam, quam tu bonis viris displicuisse dicis, me cum universi populi Romani summa voluntate, tum optimi cuiusque singulari studio, magnificentissime post hominum memoriam consulem factum, omniaque ea me pudenter videndo consecutum esse, quae tu impudenter vaticinando sperare te saepe dixisti.



**N**IMIUM es vehemens feroxque natura.] Iracundus nimium es: qui nefarium scelus committere eum putas, qui te verbo uno laedit. Antequam Vatinius interroget, ad ea respondet, quae sibi a Vatino fuerant obiecta. VENISTI iratus omnibus.] Non Sestio modo, cui eras inimicus, sed & mihi, qui inimicitias tecum nullas exercueram. De Vatino siquidem ita scribit CICERO in oratione pro Sestio, De quo ego, cum quotidie rueret, verbum feci, Iudices, nunquam: neque putavi cum omnibus machinis ac tormentis, vi, exercitu, copiis oppugnare, de uno sagittario me queri convenire. CUM ante te Gellius.] C. Gellius Publicola L. Philippi privignus, frater L. Gellii Publicolae, clarissimi viri & optimi Consulis; sic enim eum appellat CICERO in Oratione pro Sestio. NUTRICULA seditiosorum.] Sic in oratione pro Sestio de C. Gellio, Ecquae seditio unquam fuit, in qua non ille princeps? ecquis seditiosus, cui ille non familiaris? ecquae turbulenta concio, cuius ille non concitator? cui benedixit unquam bono? benedixit? immo vero quem fortem & bonum civem non petulantissime est infectatus? qui, ut credo, non libidinis causa, sed ut Plebicola videretur, libertinam duxit uxorem. SENSI atque providi.] Sentire est ex iis, quae videntur futura praevidere. CICERO in epistola ad Octavianum (sic enim inscribi debet, non ad Octavianum; iam enim Octavius factus erat Octavianus) In ea igitur epistola ita CICERO, Illud vero, quod & praesentis doloris est indicium, & praeteritae iniuriae testimonium, & absentium sensus significatio, non praetermittam, quin quo-

niam praesens id facere prohibeor, absens prosum. INFLATO collo.] Prae iracundia tumente. Iocatur in strumam, quam in gutture Vatinius habebat. Qua de re ita PLUTARCHVS in Cicerone, Vatinius vero quod strumis guttur haberet tumidum, cum quandam oraret causam, oratorem appellavit inflatum. Vt mihi renovatus ille tuus in te veterem eum amicum sed tamen familiarem suum defenderim.] Locus corruptus est, & mutilatus: neque tamen magnam accepisse videtur plagam; mihi ita videtur emendandus & restituendus, Vt mihi renovatus tuus ille tribunatus furor videretur. Ac mihi primum omnium obiecisti quod C. Cornelium veterem meum amicum sed tamen tuum familiarem defenderim. C. CORNELIUM.] Reum maiestatis lege Cornelia: quem CICERO Praetor defendit, L. Manlio Torquato, L. Aurelio Cotta coss. apud Q. Gallum Praetorem. VETEREM amicum meum.] Quod potest excusationi sufficere, veterem enim meum amicum deserere nolui. SED tamen tuum familiarem.] Vt mihi non debeas tu de Cornelio defenso obicere, qui eo usus sis tam familiariter; facilius enim existimabunt homines propter eam familiaritatem, quae tibi erat cum Cornelio, nihil Cornelium fecisse sine te: quam me seditiosis civibus favere, quod veteri meo amico defensionis auxilium non negarim. CUM in hac civitate oppugnatio soleat, qua tu nunc uteris nonnumquam, defensio nunquam vituperari.] Summis viris saepe non est creditum, cum testimonium adversus inimicos dixissent: iudicatumque est officere religioni inimicitias posse. Quare Q. Metello Pio, L. Martio Lucello, Q. Hortensio, M. Aemylio Lepido adversus C. Cornelium testimonium dicentibus creditum



ditum non est, ut autor est VALERIVS MAXIMVS. CICERO pro Fonteio, *An vero vos id in testimoniis hominum Barbarorum dubitabitis, quod persaepe & nostra, & patrum memoria sapientissimi Iudices de clarissimis nostrae civitatis viris dubitandum non putaverunt? Qui Cn. & Q. Ceptionibus, L. & Q. Metellis testibus in Q. Pompeium hominem novum non crediderunt: quorum virtuti, generi, rebus gestis, fidem & auctoritatem in testimonio cupiditatis atque inimicitarum suspitio derogavit. Ecquem hominem vidimus, ecquem vere commemorare possumus parem consilio, gravitate, constantia, caeteris virtutibus, honoris, ingenii, rerum gestarum ornamentis M. Aemilio Scauro fuisse? tamen huius, cuius iniurati nutu orbis prope terrarum regebatur, iurati testimonio nec in C. Fimbriam, nec in C. Memmium creditum est. Noluerunt ii qui iudicabant hanc patere inimicitias viam, quem quisque odisset, ut cum testimonio posset tollere. DEFENSIO nunquam vituperari.]* Leges enim, quae damnari neminem causa indicta volunt, nemini deesse defensorem volunt. L. Torquato Consuli vitio datum non est, quod Catilinae reo de repetundis fuisset advocatus, prima iam ad eum Catilinae coniuratione delata.

C. CORNELIVM non defenderem.] C. Cornelius Trib. pl. cum legem ferre vellet, *Ne quis nisi per populum legibus solveretur*, quod antiquo quoque iure cautum erat: Publiusque Servilius Globulus eius Collega Scribam subicere, & Praeconem recitare prohiberet, codicem ipse arripuit, & populo recitavit. Quo facto Tribunitiae potestatis maiestatem violasse accusabatur.

NUM legem aliquam Cornelius contra auspicia tulerit.] Num legem Heliam sive Aeliam (utroque enim modo scribi potest) contempserit, obnunciationi non parendo, quae lege Aelia confirmabatur: quemadmodum testis est ASCONIVS in Orat. in Pisonem. *Duas esse leges Aeliam & Fusiam, non unam, ut vulgo creditur, ex innumerabilibus CICERONIS locis colligi potest. Ne longius abeas, sic scriptum est hoc ipso loco, in quo sumus, Num legem Heliam, num Fusiam neglexerit. Vbi certe tanquam de legibus duabus loquitur Orator. Rursusque hac eadem Orat. Num quem ex omnibus Tribunis plebis, quicumque seditiosi fuerint, tam audacem audieris fuisse, ut unquam contra legem Heliam aut Fusiam concilium advocaret? CICERO ad Atticum lib. primo, epistola cuius initium est, Quaeris ex me: Lurco autem, inquit, Tribunus plebis, qui magistratum simul cum lege Aelia iniit, solutus est & Aelia & Fusia, ut legem de ambitu ferret: quam ille bono auspicio homo claudus promulgavit. Ex iis locis nemini dubium esse potest, quin leges duae sint Aelia & Fusia. Quae earum vis fuerit, tum qui latores, non facile reperias. Lege Aelia confirmatam obnuncia-*

tionem scribit ASCONIVS. *Obnunciare vero is dicitur, qui ei, qui cum populo agere vult, refert quid ipse de coelo servans viderit, audierit, senserit. CICERO pro Sestio, Itaque fretus sanctitate Tribunatus cum se non modo contra vim & ferrum, sed etiam contra verba & intercessionem legibus sacratis esse armatum putaret, venit in templum Castoris, obnunciavit Consuli. Ac paulo post de eodem facto scribens, Cumque auspiciis religionique parens obnunciaret quod senserat, luce, palam &c. Lege Fusia quid cautum fuerit, compertum non habeo: cautum fortasse id erat, Ne quis eo die, quo de coelo servatum sciret, cum populo ageret. De latores legum harum id tantum habeo, quod ex oratione CICERONIS in Pisonem colligere potui. In ea sic scriptum est, Centum prope annos legem Heliam & Fusiam tenueramus. Ab Aulo igitur Gabino & L. Pisonem coss. sublatae de Rep. sunt leges Helia & Fusia rogatione Clodia, ordinem Consulium retronumerans, annos septuaginta novem usque ad Consulatum P. Furii sive Fusii Philonis reperio, centum & undecim ad Q. Aelii Paeti Cati (quos ego latores legum harum existimo) consulatum: ut dicere oratorum more potuerit CICERO, centum prope annos eas leges in civitate retentas: quarum altera paulo plures, pauciores altera paulo retenta fuerat. NUM Consuli vim attulerit.] C. Calphurnio Pisoni: qui, ut scribit ASCONIVS, cum vehementer quereretur, improbe facere Cornelium, qui codicem recitaret, Tribunitiam intercessionem ea ratione tolli, gravi convitio a populo exceptus est. TEMPLVM.] Aedem Castoris. CICERO pro Sestio, *Captum erat forum anno superiore, aede Castoris tanquam arce aliqua a fugitivis occupata: silebatur, omnia hominum cum egestate, tum audacia perditorum, clamore, concursu, vi, manu gerebantur: perferebatis. Idem in Pisonem, Arma in templo Castoris, O proditor templorum omnium, vidente te constituebantur ab eo latrone, cui templum illud fuit te Consule arx civium perditorum, receptaculum veterum Catilinae militum, castrorum forensis latrocinii, bustum legum omnium ac religionum. NUM intercessorem vi deiecerit.] Num P. Servilium Globulum, intercedere volentem de templo Castoris deturbarit. NUM religiones polluerit.] Romana omnis religio in auspicia & sacra divisa erat: auspicia Romulus, sacra Numa constituit. CICERO tertio de Natura deorum, *Cumque omnis populi Romani religio in sacra & in auspicia divisa sit, tertium adiunctum sit, si quid praedictionis causa ex portentis & monstris Sibyllae interpretes, haruspicesve monuerunt. Harum ego religionum nullam unquam contemnendam putavi: mihique ita persuasi, Romulum auspiciis, Numam sacris constitutis fundamenta iecisse nostrae civitatis. TVA sunt, tua sunt haec omnia.]* Vatinius auspicia, legem Fu-**



Fufiam neglexit, obnunciationibus nunquam parendo, diebus iis concionem advocando, quibus de coelo sciret esse servatum, Consuli vim attulit, cum M. Bibulum cos. qui Caesari adverbatur, in carcerem duci iussit, domi inclusum tenuit, domi vi extrahi per viatorem iussit, aedem Castoris armatis hominibus tenuit, intercessionibus paruit nunquam, religionem polluit, auspicia contemnendo, sacra nefaria suscipiendo, largiendo, regna, tetrarchias donando, vectigalia civitatibus remittendo exhaustit aërium, Remp. compilavit, pecuniam partim a Caesare, partim a publicanis eripiendo. CODICEM legisse dicebatur.] Codicem suae legis, eoque facto imminuisse Tribunitiam maiestatem.

SED recognoscendi.] *Recognoscere* est quod Galli dicunt, *reveoir*.

CONCILIVM illo die dimisisse.] Concionem illo die dimisisse. De ea re ita ASCONIVS in *Orationem pro Cornelio*, *Et cum illos cos. qui sibi intentabant manus, prehendi a lictore iussisset, fracti eius fasces cuncti, lapidesque etiam ex ultima concione in cos. iacti. Quo tumultu Cornelius perturbatus, concilium dimisit. Concilium autem est pars populi congregata, non totus populus. Vide GELLIVM lib. 15. cap. 27. ILLO die.] Nam die alio ita eandem rursus legem ferre coepit, *Ne quis in Senatu legibus solveretur, nisi CC adfuissent: neve quis cum solutus esset, intercederet, cum de ea re ad populum ferretur. QVAM causam. Colorem. TERENCEIVS in Andria Scena III. actus primi, — Invenerit**

*Aliquam causam quamobrem eiiciat oppido.*

*Idem in Hecyra, actus IV. Scena IV.*

*Etsi tibi causa est de hac re, mater te impulit.*

AD patronos tuos.] Prope enim est cum accusabere. CICERO ad Q. Fratrem epistola libri secundi, cuius initium est, *Sestius noster absolutus est, de Vatini accusacione ita scribit, Quin etiam Paulus noster cum testis productus esset in Sestium, confirmavit nomen se Vatini delaturum, si Macer Licinius cunctaretur: & Macer a Sestii subselliis surrexit, ac se illi non defuturum affirmavit: Quid quaeris? homo audax & petulans*

*Vatinius valde fractus debilitatusque discessit. Huc pertinet, quod non ita multo post dicit Orator, De te autem quid sentiant homines, in honore experti sumus, in salute expectamus. QVOD OS afferes.] Quo ad eos pudore venies, cum tu mihi Cornelii defensionem in maledictis obiciendam putes civis profecto te melioris. De Cornelio siquidem ita ASCONIVS, *Cornelius homo non improbus vita habitus est; fuerat Quaestor Cn. Pompeii, dein Tribunus plebis C. Pisone Consule: in eo magistratu ita se gessit, ut iustior pertinaciorque videretur. IN maledictis.] CICERO pro Caelio quid maledictum sit, docet iis verbis, Sed aliud est, inquit, maledicere, aliud accusare: accusatio crimen desiderat, rem ut designat, hominem ut notet, argumento probet, teste confirmet: maledictio autem nihil habet propositi praeter contumeliam: quae si petulantius iactatur, convitium: si facetius, urbanitas nominatur.**

PAVLO post istam defensionem.] Anno postquam Praetor Cicero Cornelium defendit. BONIS viris.] Optimatibus, senatus studiosis. MAGNIFICENTISSIME Consulem factum.] CICERO in Pisonem de adeptione sui Consulatus, *Me cuncta, inquit, Italia, me omnes ordines, me universa civitas non prius tabella quam voce priorem Consulem declaravit. PVDENTER vivendo.] Caste & integre versando in privatorum periculis. CICERO pro Lege Manilia, Et meus labor in privatorum periculis caste integreque versatus ex vestro iudicio fructum est amplissimum consecutus. QVAE tu impudenter vaticinando.] Alludit ad nomen Vatini. Quae impudenter vaticinando sperare se dixerit Vatinius, paulo post dicit Orator, *Quaesturam, inquit, petisti cum P. Sestio cum hic nihil loqueretur, nisi quod agebat: tu de altero consulatu gerendo te diceres cogitare. De Auguratu quoque Vatinius cogitavit: Augurque fieri voluit in locum Q. Metelli. Qua de re hac eadem oratione ita CICERO, Quaero illud etiam ex te, conatus ne sis, volucris ne, denique cogitaris in illo tuo non regno, sed intolerabili latrocinio augur fieri in Q. Metelli locum.**

### CAPUT TERTIVM.

*Nam quod mihi discessum obiecisti meum, & quod horum, quibus ille dies acerbissimus fuit, qui idem tibi laetissimus, luctum & gemitum renovare voluisti: tantum tibi respondeo, ne, cum tu, ceteraque reipublicae pestes, armorum causam quaereretis, & cum per meum nomen fortunas locupletium diripere, sanguinem principum civitatis exsorbere, crudelitatem vestram, odiumque diuturnum, quod in bonos iam inveteratum habebatis, saturare cuperetis: scelus, & furorem vestrum cedendo maluisse frangere, quam resistendo. Quare peto a te, ut mihi ignoscas, VATINI, cum patriae pepercerim, quam servaram: & si ego te perditorem, &*  
vexa-



vexatorem reipublicae fero, tu me conservatorem, & custodem feras; deinde eius viri discessum increpas, quem vides, omnium civium desiderio, ipsius denique reipublicae luctu esse revocatum? At enim dixisti, non mea, sed reipublicae causa homines de meo reditu laborasse. Quasi vero quisquam vir excellenti animo in rempublicam ingressus, optabilius quidquam arbitretur, quam se a suis civibus reip. causa diligi. Scilicet aspera mea natura: difficilis aditus: gravis vultus: superba responsa: insolens vita: nemo humanitatem meam, nemo consuetudinem, nemo consilium, nemo auxilium requirebat: cuius desiderio (ut haec minima dicam) forum moestum, muta curia, omnia denique bonarum artium studia siluerunt. Sed nihil sit factum mea causa: omnia illa senatusconsulta: populi iussa: Italiae totius, cunctarum societatum, collegiorum omnium decreta de me, reipublicae causa esse facta fateamur. Quid ergo, homo imperitissime solidae laudis, ac verae dignitatis, praestantius mihi potuit accidere? quid optabilius ad immortalitatem gloriae, atque ad memoriam mei nominis sempiternam, quam omnes hoc cives meos iudicare, civitatis salutem cum mea unius salute esse coniunctam? Quod quidem ego tibi reddo tuum; nam, ut tu me carum esse dixisti senatui, populoque Rom. non tam mea causa, quam reip. sic ego te, quamquam sis omni diritate, atque immanitate taeterrimus, tamen dico esse odio civitati non tam tuo, quam reip. nomine.



**N**AM quod mihi discessum obiecasti meum.] Tanquam periculi metu profugerim: quod CICERO non vult confiteri. Sic enim pro Sestio, Nam si ego in causa tam bona, tanto studio Senatus, consensu tam incredibili bonorum omnium, tam parato, tota denique Italia ad omnem contentionem expedita, cessi Tribuni plebis despiciatissimi hominis furori, contemptissimorum COSS. levitatem audaciamque pertimui, nimium me timidum, nullius animi, nullius consilii fuisse confiteor. Idem in Pisonem, Quod mihi igitur, inquit, certamen esset eiusmodi? cum C. Mario scilicet, aut cum aliquo pari, an cum altero barbato Epicureo, cum altero Catilinae laternario: quos neque hercule ego, neque supercilium tuum, neque collegae tui crotala ac cymbala fugi; neque tam fui timidus, ut qui in maximis turbinibus ac fluctibus Reip. navem gubernassem, salvamque in portu collocassem, frontis tuae nubeculam, tum collegae tui contaminatum spiritum pertimescerem. DISCESSVM obiecasti meum.] Ciceronis ab Vrbe discessus, exilium dici non potest, cum civitate privari nemo civis sine lege, sine iudicio possit. CICERO pro Sestio, Tum princeps rogatus sententiam L. Cotta, dixit id quod dignissimum Rep. fuit, nihil de me actum esse iure, nihil more maiorum, nihil legibus: non posse quenquam de civitate tolli sine iudicio: de capite non modo ferri, sed ne iudicari quidem posse, nisi comitiis centuriatis: vim fuisse illam, flammam quassatae reipublicae, perturbatorumque temporum: iure iudicis sublati, magna rerum perturbatione impendente, declinasse me paululum, & spe reliquae tranquillitatis praesentes fluctus, tempestatemque

fugisse, quare me, qui nulla lege abessem, non restitui lege, sed Senatus autoritate revocari oportere. ET quod horum, quibus ille dies acerbissimus fuit. q. i. t. l. luctum se.] Iudices demonstrat: qui partim Equites erant, partim Senatores: qui pro Cicerone vestem mutarant. QVI idem tibi laetissimus.] CICERO pro Sestio de Vatino, Ille, inquit, unus ordinis nostri discessu meo, luctu vestro palam exultavit. LVCTVM ET GEMITVM.] Luctum Galli dicunt duell: ad vestitum refertur. CICERO in Oratione post reditum in Senatu, Te Consule non est licitum non decretis modo, sed ne luctu quidem atque vestitu reipublicae subvenire. CVM TV caeteraque reip. pestes.] P. Clodius, A. Gabinius, L. Piso. ODIVMQUE DIVTVRNV.] Conceptum iam inde a coniuratione Catilinae extincta, occisique Ciceronis iussu coniuratis. CICERO pro Milone, Quodnam concepi tantum scelus, aut quod in me tantum admisi facinus, Iudices, cum illa indicia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, extinxi? Omnes in me meosque redundant ex illo fonte dolores.

CEDENDO MALVISSE FRANGERE quam resistendo.] Etsi resistendo potuissem, cum pro me omnes boni parati essent depugnare, totaque Italia ad omnem esset contentionem expedita. CICERO Pro Sestio, Nam si ego in causa tam bona, tanto studio Senatus, consensu tam incredibili bonorum omnium tam parato, tota denique Italia ad omnem contentionem expedita, cessi despiciatissimi hominis furori &c. CVM PATRIAE pepercerim quam servaram.] Si noluerim patriam perire quam ab incendio Catilinae servaveram. CICERO pro Sestio, Vnum enim mi restabat illud, quod forsitan non nemo vir fortis,



tis, & acris animi magnique diceret, Restitisses, repugnasses, mortem pugnans appetisses. De quo te te, inquam, patria testor, & vos penates patriique dii, me vestrarum sedium templorumque causa, me propter salutem meorum civium, quae mihi semper fuit mea charior vita, dimicationem caedemque fugisse. Victi essent improbi: at cives, & ab eo privato qui sine armis etiam Consul Remp. conservarat: Sin victi essent boni, qui superessent? TV ME CONSERVATOREM FERAS.] Qui Tribunitio furori cedendo iterum Remp. conservavi. Conservatorem vocat CICERO quem ΣΩΤΗΡΑ Graeci vocant: eum scilicet, qui salutem dat: verbo tamen non satis significante. Nam quemadmodum ipse scribit libro secundo in Verrem, ΣΩΤΗΡ latino uno verbo exprimi non potest. Verba Ciceronis haec sunt, Itaque eum non solum patronum istius insulae, sed etiam ΣΩΤΗΡΑ inscriptum vidi. Hoc quantum est? ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non possit. Is est nimirum ΣΩΤΗΡ, qui salutem dedit. Haec CICERO. Nullum tamen Latinum unum verbum melius exprimere potest quid ΣΩΤΗΡ sit, quam Conservator aut Servator. TERENCEI optimus latininitatis, quemadmodum CICERO scribit, magister, sic in Adelphis scribit, Ipsa si cupiat Salus, Servare prorsus non potest hanc familiam. REIP. CAUSA homines de meo reditu laborasse.] Quam perturbari erat necesse, si Pompeii acta rescinderentur, quod Clodius cogitabat: cui Pompeius ut haberet quem opponeret, de Cicerone revocando agere coepit. IN REMP. INGRESSVS.] Is in Remp. publicam ingredi dicitur, qui ad petendos honores se confert.

CVIVS DESIDERIO ut haec m. d. forum moestum m. c.] CICERO in Oratione post reditum in Senatu, Itaque postea nihil vos civibus, nihil sociis, nihil regibus respondistis: nihil Iudices sententiis, nihil populus suffragiis, nihil hic ordo autoritate declaravit: mutum forum, elinguem curiam, tacitam & fractam civitatem videbatis. Idem pro Sestio, Quem curia magis requisivit, quem forum luxit, quem aequae ipsa Tribunalia desideraverunt? Omnia discessu meo deserta, horrida, muta, plena luctus & moeroris fuerunt. OMNIA DENIQUE BONARVM artium studia siluerunt.] Omnium virtutum exercitationes intermissae sunt: nemo in Senatu sententiam dicebat: nemo cum populo agebat, nullius in iudiciis vox audiebatur: quae bonarum artium CICERO studia vocat. Nam intelligere literarum studia, valde est frigidum. Artes pro virtutibus dixit alio loco CICERO: sic enim in Oratione pro lege Manilia scriptum est, Est haec divina atque incredibilis virtus Imperatoris. Quid caeterae quas paulo ante commemorare coeperam, quantae atque quam multae sunt? non enim solum bellandi virtus in summo atque in perfecto imperatore quaerenda est, sed multae sunt artes eximiae

huius administreae comitesque virtutis. Ac primum, quanta innocentia debent esse imperatores? quanta deinde omnibus in rebus temperantia, quanta fide, quanta facilitate, quanto ingenio, quanta humanitate? MEA CAUSA.] Propter me hominem. OMNIA ILLA SENATVSCONSULTA.] CICERO pro Sestio, Nam quid ego illa de me divina Senatusconsulta, commemorem? vel quod in templo Iovis Optimi Maximi factum est, cum vir is, qui tripertitas orbis terrarum oras atque regiones tribus triumphis adiunctas huic imperio notavit, de scripto sententia dicta, mihi uni testimonium patriae conservatae dedit: cuius sententiam ita frequentissimus Senatus sequutus est, ut unus dissentiret hostis: idque ipsum tabulis publicis mandaretur, ad memoriam posteriori temporis sempiternam. Vel quod est postridie decretum in curia populi ipsius Romani & eorum, qui ex municipiis convenerant, admonitu, ne quis de coelo servaret, ne quis moram ullam afferret: si quis aliter fecisset, eum plane Reip. everforem fore, idque Senatum gravissime laturum, & ut statim de eius facto referretur. Quae gravitate sua cum frequens Senatus nonnullorum scelus audaciamque tardasset, tum illud addidit, si diebus quinque, quibus agi de me potuisset, non esset actum, redirem in patriam dignitate omni recuperata. Decrevit eodem tempore Senatus, ut iis, qui ex tota Italia salutis meae causa convenerant, agerentur gratiae, atque ut iidem ad res redeuntes, ut ad diem rogationis venirent, rogarentur. Idem paulo ante, In una mea causa post Romam conditam factum est, ut literis Consularibus ex S. C. cuncta ex Italia omnes, qui Remp. salvam esse velent, convocarentur, quod nonnunquam Senatus in universae Reip. periculo decrevit, id in unius mea salute conservanda decernendum putavit. POPULI IVSSA.] Lex de meo reditu lata comitiis centuriatis in Campo Martio, referente Patritio magistratu. ITALIAE TOTIVS.] Italia sub cura erat urbanorum Magistratum: usque ad Rubiconem protendebatur: in ea erant coloniae aliquot, praefecturae, municipia. A Rubicone Gallia erat provincia. Neque enim putandum est eos, qui ultra Rubiconem essent, suffragium in urbe habuisse. CUNCTARVM societatum.] Omnium societatum vectigalium, omnium publicanorum. Publicani qui in iisdem vectigalibus versantur, socii dicuntur. CICERO pro Sestio, nullum erat Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura, nulla Romae societas vectigalium, nullum collegium aut concilium, aut omnino aliquod commune consilium, quod tum non honorificentissime de mea salute decrevisset? OMNIVM COLLEGIORVM.] Collegia sunt communia concilia eorum, qui vel eundem honorem gerunt, gesserunt, vel idem tractant artificium. CVM MEA unius salute esse coniunctam.] Non dixit Orator, Cum sua solius salute esse coniunctam: ferri siquidem id non posset: sed cum



cum sua unius, quemadmodum & cum salute multorum aliorum clarorum civium. Laudis vero est non vulgaris, hominis unius operam tam multis hominibus esse salutarem, unoque homine tam multos indigere. REDDO TVVM.] In contrarium respondeo. Nam RESPONDERE proprie is dicitur, qui crimen idem, quod sibi obiectum est, in adversarium regerit. Vnde dicuntur a VIRGILIO Sylvae respondere: Si caninus, inquit, sylvis, respondent omnia sylvae: quoniam vocem eandem remittunt. TERNATIVS in Phormionis Prologo,

Hic respondere voluit, non laceffere: Benedictis si certasset, audisset bene: Quod ab ipso allatum est, sibi id esse relatum putet.

CICERO pro M. Coelio, Deinde ut ea in alterum ne dicas, quae cum tibi falso responsa sint, erubescas.

ESSE ODIIO civitati.] Quid Civitas ab Vrbe differat, indicat locus ille epistolae CICERONIS ad Plancum, Liberasti igitur civitatem metu, urbem periculo. Urbem ergo faciunt aedificia, civitas est ipsorum civium multitudo.

## CAPVT QVARTVM.

Atque, ut aliquando ad te veniam, de me hoc sit extremum. Quid quisque nostrum de se ipse loquatur, non est sane non est requirendum: boni viri iudicent; id est maximi momenti, & ponderis. Duo sunt tempora, quibus nostrorum civium spectentur iudicia de nobis: unum honoris, alterum salutis. Honos talis populi Romani voluntate paucis est delatus, ac mihi: salus tanto studio civitatis nemini reddita; de te autem homines quid sentiant, in honore experti sumus: in salute expectamus. Et cum homine me non solum impudentissimo, atque infimo conferam: de te ipso, homine & arrogantissimo, & mihi inimicissimo, quaero, VATINI, utrum tandem putes, huic civitati, huic reip. huic Vrbi, his templis, aerario, curiae, viris his, quos vides, horum bonis, fortunis, liberis, civibus caeteris; denique deorum immortalium delubris, auspiciis, religionibus, melius fuisse, & praestabilius, me civem in hac civitate nasci, an te? cum mihi haec responderis, aut ita impudenter, ut manus a te homines vix abstinere possint: aut ita dolenter, ut aliquando ista ilia, quae sunt inflata, rumpantur: tum memoriter respondeo ad ea, quae de te ipso rogaro.



HONOS TALIS Populi Romani voluntate p. e. d. a. m.] Quam magnifice Cicero omnes honores in Republica adeptus sit, quantaque populi voluntate, dicebamus paulo ante. SALVS TANTO studio civitatis nemini reddita.] Nemo tam impensa civium voluntate ab exilio revocatus est. Tres omnino Consulares ante Ciceronem Vrbe pulsi fuerant, M. Popilius, Q. Metellus, C. Marius: de quibus nulla Magistratum consensio, nulla ad Remp. defendendam populi convocatio, nullus Italiae motus, nulla municipiorum decreta extiterunt. CICERO in Oratione post reditum in Senatu. IN HONORE experti sumus.] In Quaestura, in qua postremus adhaesit: in Aedilitate, in qua repulsam tulit. CICERO in Oratione pro Sestio, de Vatino loquens, Alter, inquit, qui ita se in populari ratione iactarat, ut auspicia, legem Heliam, Senatus auctoritatem, Consulem, collegas, bonorum iudicium nihil putaret, Aedilitatem petivit cum bonis viris, & hominibus primis, sed

non praestantissimis opibus & gratia: tribum suam non tulit: Palatinam denique, per quam omnes illae pestes vexare populum Romanum dicebantur, perdidit: nec quicquam illis comitiis, quod boni viri vellent, nisi repulsam tulit. Itaque de Aedilitate intelligendum arbitror non de Praetura locum quoque Orationis huius, in quo scriptum sic est, Tum quaesisse quendam de Vatino, quemadmodum ferret: Caesarem respondisse, Vatini in Tribunatu gratis nihil fecisse: qui omnia in pecunia posuisset, honore animo aequo carere debere. IN SALUTE expectamus.] Duo siquidem parati erant deferre nomen Vatini, quemadmodum paulo ante dicebamus, Paulus Aemilius, & Licinius. ET ME cum homine non solum impudentissimo atque infimo conferam, de te ipso homine & arrogantissimo, & mihi inimicissimo quaero, Vatini.] Mendi suspicionem mihi dat illud NON SOLVM: quod quo referri possit, non habet: si pro NON SOLVM, reponeremus OMNIVM, integra essent omnia, atque plana. Iam vero Impudentissimum pro impurissimo dicit. Pudens enim probum & castum apud



apud CICERONEM significat: quare Impudens improbum & impurum. HVIC CIVITATI, huic Reip. huic Urbi.] Romanis civibus, Romanorum communi, Romanis sedibus & aedificiis. VRBS Roma proprie dicitur, quemadmodum Athenae ASTV. Vnde TERENTIUS, *An astu venit?* HIS TEMPLIS, aerario, curiae.] Tempia ostendit, quae in foro erant, & si non omnia: nam & Castoris aedes in foro erat. M. Valerius Publicola aedem Saturni aërarium instituit. Qua de re vide LIVIUM. Tullus vero Hostilius Alba everfa principes Albanorum in Patres elegit, templumque ordini a se aucto Curiam fecit, quae *Hostilia* appellata est. LIBERIS, CIVIBVS.] CONIUGIBVS legendum puto, non CIVIBVS: nam & liberi cum coniugibus coniunguntur a CICERONE semper: & CIVIVM iam meminerat, cum CIVITATEM poneret. CAETERIS DENIQUE deorum immortalium delubris.] Caeteris deorum templis, quae hinc nec videri, nec ostendi possunt. Quid inter templum & delubrum intersit, docet iis verbis ASCONIVS, *Sunt qui TEMPLA esse dicunt singulorum dis attributorum locorum, DELVBRA multarum aedium sub uno tecto a diluvio pluviae munitarum. Alii delubra dicunt ea templa, in quibus nunc sunt delubra corporum abluendorum, more Dodonaei Iovis, aut Apollinis Delphici, in quorum delubris Lebetes Tripodesque visuntur. Sunt etiam, qui Delubra, ligna delibrata, id est, decorticata pro simulacris deorum more veterum posita existiment: sed male. Haec ASCONIVS in Divinationem. Hic tamen*

ita loquitur Orator, ac si idem & templum esset & delubrum.

AVSPICIIS, religionibus.] Auspiciis & sacris. Duas dicebamus esse Romanae religionis partes, *auspicia*, & *sacra*: quae utraque, Vatinus polluerat atque violarat. ME CIVEM in hac civitate nasci.] Qui e municipio sum Arpinate, non in civitate Romana natus. Qua de re ita CICERO II. de Legibus, *Gaudeo*, inquit, *Attice, me incunabula pene mea tibi ostendisse. Tum Atticus, Equidem me cognosse admodum gaudeo. Sed illud tamen, quale est, quod paulo ante dixisti, hunc locum (idem ego te accipio dicere Arpinum) germanam patriam esse vestram? nunquid duas habetis patrias? est ne una, illa patria communis? Nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma, sed Tusculum. Tum Cicero, Ego mebercule & illi, & omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturae, alteram civitatis: ut ille Cato cum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est: ita cum ortu Tusculanus esset, civitatem Romanam habuit: alteram loci patriam, alteram iuris. Vt vestri Attici, priusquam Theseus eosdem migrare ex agris & in Astu quod appellatur, omnes se conferre iussit, & Sunii erant iidem & Attici: sic nos & eam patriam ducimus, ubi nati, & eam qua excepti sumus. Itaque ego hanc meam esse patriam, nunquam prorsus negabo, dum illa sit maior, & haec in ea contineatur. TVM MEMORITER respondeto.] Ex tempore, impremeditatus, non de commentario.*

## CAPVT QVINTVM.

*At illud tenebrosissimum tempus ineuntis aetatis tuae patiar latere; licet impune per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris; habeat hoc praemium tua indignitas, ut adolescentiae turpitudine, obscuritate, & sordibus tuis obtegatur. Quaesturam petisti cum P. SESTIO, cum hic nihil loqueretur, nisi quod agebat: tu de altero consulatu gerendo te diceres cogitare. Quaero abs te, teneasne memoria, cum P. SESTIVS Quaestor sit cunctis suffragiis factus, tunc te vix, invitis omnibus, non populi beneficio, sed Consulis, extremum adhaesisse? in eo magistratu, cum tibi magno clamore aquaria provincia sorte obtigisset, missusne sis a me Consule Puteolos, ut inde aurum exportari, argentumque probiberes? in eo negotio, cum te non custodem ad continendas, sed portitorem ad partiendas merces missum putares, cumque omnium domos, apothecas, naves, furacissime scrutarere, hominesque negotia gerentes, iudiciis iniquissimis irretires, mercatores e navi egredientes terreres, conscendentes morarere: teneasne memoria, tibi in conventu Puteolis manus esse allatas? ad me Consulem, Puteolanorum querelas esse delatas? post Quaesturam exierisne legatus in Vltiorem Hispaniam, C. Cosconio Proconsule? cum illud iter Hispaniense pedibus fere confici soleat, aut, si quis navigare velit, certa sit ratio navigandi: venerisne in Sardiniam, atque inde in Africam? fuerisne, quod sine senatusconsulto*



*sulto tibi facere non licuit, in regno Hiempsalis? fuerisne in regno Mastanesosi? venerisne ad fretum per Mauritaniam? quem scias umquam legatum Hispaniensem istis itineribus in illam provinciam pervenisse? factus es tribunus plebis (quid enim te de Hispaniensibus flagitiis tuis, sordidissimisque furtis interrogem?) quaero abs te primum universe, quod genus improbitatis, & sceleris in eo magistratu praetermiseris? Ac tibi iam inde praescribo, ne tuas sordes clarissimorum virorum splendore permisceas. Ego te, quaecumque rogabo, neque te ex amplissimi viri dignitate, sed ex tuis tenebris extraham: omniaque mea tela sic in te coniciuntur, ut nemo, per tuum latus (quod soles dicere) saucietur; in tuis pulmonibus, ac visceribus adhaerebunt.*



**L**ICET IMPVNE per me.] Qui te non accuso: si te accusarem, non liceret. Leges enim sunt, iudicia sunt, poenae sunt, si quis parietes perfoderit, si quis vicinos compilarit, si quis matrem verberarit. QVAESTVRAM PETISTI.] Quaestura in minoribus erat magistratibus: siquidem neque sellam curulem habebant Quaestores, neque ius imaginis, neque agendi cum populo potestatem, neque auspicia. Primus P. Valerius Publicola cum aedem Saturni aerarium constituisset, Quaestores duos, qui pecuniae publicae praessent, populi suffragiis creari voluit: ii fuerunt P. Veturius, & M. Minutius: qui primi ex Patribus Quaesturae munus Comitibus curiatis cepere. Crevit postea numerus usque ad III, tum aliquanto post usque ad VI, Syllanis vero temporibus plures XX. fuisse in Vrbe Quaestores legimus. NON POPVLI beneficio sed Consul.] L. Iulium Caesarem dicere videtur, quo Consule designatus Quaestor est Vatinius. Cum quo necessitudinem aliquam Vatinius fuisse, possumus ex eo colligere, quod C. Iulii Caesaris L. Caesaris fratris filii affinis erat Vatinius. Ita enim CICERO hac eadem Oratione de Caesare loquens, *Apud quem tu etiam nos criminari soles, qui illi sumus amicissimi: cum tu ei contumeliosissime toties maledicas, quoties illi te affinem esse dicis. EXTREMVM adhaesisse.]* Non tam creatum, quam non reiectum fuisse. AQUARIA provincia.] Aquariae provinciae cura erat Quaestoris Urbani praefecti mercibus, quae mari vel omnino aquis exportantur, vel importantur. Aquarios enim, hoc est, eos qui aquam circumferabant venalem, coercere non Quaestoris, sed Aedilis cura erat. CAELIVS ad Ciceronem Proconsulem, cum ipse Aedilis esset, *Quod si ego, inquit, cum tabernariis & aquariis non pugnassem per eos dies, civitatem veteris occupasset.* Provincia, munus & curam omnem significat. TERENCEVS in Phormione, — *O Geta provinciam cepisti duram.* CICERO III. Verrina, quem ego librum primum voco. Nam ut Praetor, inquit, factus est, qui auspiciato a Chelidone surrexisset, sor-

tem nactus est urbanae provinciae. Quo in loco Urbanam provinciam dicit, Munus dicendi iuris inter cives. SORTE OBTIGISSET.] Sortito obvenisset, ut tacitum ferre populum debueris. Quod quoniam factum non est sine omnium clamore, aperte homines iudicarunt, non fuisse tibi eam curam & provinciam demandaturos, qui etiam a fortuna tibi eam oblatam aegre ferrent. PUTEOLOS.] Puteoli olim *Dicaearchia* dicta, urbs Campaniae est, a puteorum multitudine sic dicta, portus Romanorum: quam in Italia fuisse necesse est, cum a magistratibus urbanis regeretur, Puteolanorumque negotiatorum querelae ad Consulem deferrentur. CUSTODEM ad continendas.] Custodem hic dicit CICERO, quod Galli dicunt *Guarde*. Ita TERENCEVS in *Eunucho*, *Mirror quid ex Piraeo abierit: nam ibi custos nunc publice est.* Aliquando Custodem dicit CICERO, quem Graeci *ἀντιγραφία*, Galli verbum Graecum exprimere volentes, *Contrerolleur* appellarunt. SED PORTITOREM ad partiendas merces.] Novo quodam e genere portitorem. Ludit Orator in nominis similitudine. Duo porro crimina Vatinius obiicit, primum quod cum custos tantum missus esset, ille pro portitore se gessit: neque portorii modo contentus, quemadmodum portitores caeteri, nihil quinquam exportare sinebat, nisi ea lege, ut mercium partem alteram mercator, alteram ipse haberet.

HOMINESQVE negotia gerentes.] Negotiatores. IN CONVENTV.] Negotiatorum. CICERO Oratione in Verrem VII. quem ego librum V. facio, *Num potes hoc negare Verres, in foro Lilybaei maximo conventu, C. Servilium, civem Romanum in conventu Panormitano veterem negotiatorem &c.* Rursus eadem Oratione, *Qui cum amplius centum cives Rom. haberet ex conventu Syracusarum, qui eum cognoscerent.* POST QVAESTVRAM exierisne Legatus.] Missusne Legatus sis ex S. C. Legatus minister est muneris provincialis, autor bellici consilii. Legatorum varia erant genera, quae omnia CICERO iis verbis hac eadem Oratione complectitur, *Adeo ne tibi sordidum consilium publicum visum est, adeo afflictus Senatus, adeo misera & prostrata Respublica, ut non nuncios pacis ac*



ac belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilii autores, non ministri muneris provincialis Senatus more maiorum deligere posset? Legati dicebantur eo, quod a Senatu legabantur, & mittebantur.

IN ULTERIOREM Hispaniam.] In qua pars Beticae erat, & tota Lusitania. Vide PLINIVM, & POMPONIVM MELAM. C. COSCONIO Proconsule.] C. Cosconius Cicerone Consule Praetor fuit. CICERO in Oratione pro P. Sylla, *At quos viros? non solum summa virtute & fide, cuius generis in Senatu facultas maxima: sed etiam quos sciebam memoria, scientia, consuetudine, & celeritate scribendi facillime quae dicerentur, persequi posse: C. Cosconium qui tum erat Praetor: M. Messalam, qui tum Praeturam petebat: P. Nigidium, Appium Clodium.* Quem cum anno sequente Proconsulem faciat, non tantum ii Proconsules erant, qui in Vrbe Consules fuerant, sed qui cum imperio Proconsulari in provinciam mittebantur ex inferioribus magistratibus. Nam & C. Cassius, qui Praetor tantum fuerat, cum interfecto Caesare in Syriam venisset provinciam Consularem, ad Ciceronem scribens hac utitur in literis inscriptione, C. CASSIVS PROCONSVL S. D. M. CICERONI. Praetorem autem exivisse ab Vrbe Cassium, non Consulem epistolae eae quas ad Antonium Brutus & Cassius conscripserunt, aperte declarant: in utraque hac utuntur inscriptione, BRVTVS ET CASSIVS PRAETT. S. D. ANTONIO CONSVLI. In posteriore vero ita scribunt, *Nos, Antoni, te nulla lacezivimus iniuria: neque minaturum credidimus, si Praetores, & ea dignitate homines aliquid edicto postulassimus a Consule.* Eadem ratione CICERO scribens ad Q. Metellum, qui ex Praetura in Macedoniam missus erat, provinciam Consularem, hac utitur in literis inscriptione, M. TVLLIVS M. F. CICERO Q. METELLO Q. F. CELERI PROCONSVLI S. D. Quintus autem hic Metellus Praetor fuerat Cicerone Consule. C. Cosconius mortuus est Consul. C. Iulio Caesare, cum e xx viris esset Agrariis: in cuius locum invitatus Cicero fuit. Sic enim ad Atticum scribens, *Cosconio, inquit, mortuo, sum in eius locum invitatus: id erat vocari in locum mortui; nihil me turpius apud homines fuisset, neque ad istam ipsam ἀσφάλειαν quicquam alienius: sunt enim illi apud bonos invidiosi: ego apud improbos meam retinuissem invidiam, alienam assumpsissem.* ET CVM illud iter pedibus confici soleat.] Non navigio. CICERO ad Atticum, *Accessit, ut cum Dyrrhachii essemus, duo nuntii afferrentur, unus classe fratrem Epheso Athenas venire, alter pedibus per Macedoniam.* Pedibus autem Roma in Hispanias veniebat xl. diebus. Vide episto. POLLIONIS ad Ciceronem ultimam. CERTA SIT ratio navigandi.] Non flexuosa: per Massiliam. FVERIS NE, quod tibi sine S. C. facere

non licuit, in regno Hiempsalis, fueris ne in regno Mastanesosi?] Hiempsal & Mastanesosus reges erant Numidiae. Hiempsal certe Hiarbae, qui cum Domitio Mariano duce a Pompeio victus est, in regno successit. Autores PLVTARCHVS & FLORVS. Ad quos reges cum mandata a Senatu nulla haberet Vatinius, in eorum regna venire non potuit cum potestate. Nam ne liberis quidem legationes, quae ad haereditates vel syngraphas persequendas, vel denique rei privatae causa dabantur, obire sine S. C. licebat. De quibus liberis Legationibus ita CICERO III. de Legibus, *Iam illud apertum profecto est, nihil esse turpius, quam quenquam legari, nisi Reip. causa.* Omitto quemadmodum isti se gerant, atque gesserint, qui legatione haereditates, aut syngraphas suas persequuntur: in hominibus est hoc fortasse vitium. Sed quaero, quid reapse est turpius, quam sine procuratione Senator, Legatus sine mandatis, sine ullo Reip. munere. Quod quidem genus legationis ego Consul, quanquam ad commodum legatus pertinere videtur, tamen approbante Senatu frequentissimo, nisi mihi levis tum Trib. plebis intercessisset, sustulisset; minui tamen tempus, & quod erat infinitum, annuum feci. Ita turpitudine manet, diuturnitate sublata. VENERIS NE ad fretum per Mauritaniam.] Fretum dicuntur omnes maris angustiae, a fervore aquae. CICERO Oratione in Verrem VII. libro, ut nos existimamus v, *Et illud, inquit, audivimus M. Crassi fortissimi viri virtute consilioque factum, ne ratibus coniunctis freto fugitivi ad Messanam transire possent.* Quo in loco mare illud angustum, quo ab Italia Sicilia separatur, fretum vocat: ut in eo in quo sumus, maris illas angustias quae sunt inter Herculis columnas, quas SALLVSTIVS quoque fretum vocat maris Italici & Oceani. Mauritania vero ultima Africae pars est, clauditurque ab Occidente freto. TRIBVNVS PLEBIS.] Tribuni plebis erant, quos plebs auxilii ergo adversus Patres creabat. Decem autem erant, sic enim in XII. tabulis scriptum est, PLEBIS QVOS PRO SE ADVERSVS PATRES AVXILII ERGO CREASSIT, TRIBVNI EIVS SVNTO. Cur autem instituti sint, docet CICERO II. de Legibus, ut essent scilicet, quos populus Consulibus posset opponere, ne ad reges iterum res Romanae devenirent. TV PRAETERMISERIS.] Neque enim de te actis Caesaris, sed de tuis sceleribus interrogo, ne forte tanti viri nomine ad defensionem tuae improbitatis abutere, tibi que ea, de quibus te interrogo, clamores esse cum Caesare communia, Caesaremque a me per tuum latus, quod soles dicere, fauciarum, tuasque sordes & indignitatem cum clarissimi viri splendore coniungas.

EX TVIS TENEBRIS extraham.] Metaphora a feris, quae ab hypogeis, hoc est, subterraneis locis, in arenam extrahebantur, ubi con-



conficiebantur vulneribus. QVOD SOLES dicere.] Significans scilicet Caesarem a me per tuum nomen accusari. IN TVIS pulmonibus &

visceribus adhaerebunt.] Tuos pulmones & viscera non praetergredientur.

## CAPVT SEXTVM.

Et, quoniam omnium rerum magnarum a dis immortalibus principia dicuntur, volo ut mihi respondeas tu, qui te Pythagoricum soles dicere, & hominis doctissimi nomen tuis immanibus, & barbaris moribus praetendere, quae te tanta pravitas mentis tenuerit, qui tantus furor, ut, cum inaudita, ac nefaria sacra susceperis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum extis deos manes mactare soleas: auspicia, quibus haec Vrbs condita est, quibus omnis respublica atque imperium tenetur, contemseris? initioque tribunatus tui senatui denuntiaris, tuis actionibus augurum responsa, atque eius collegii arrogantiam impedimento non futuram? Secundum ea quaero, servarisne in eo fidem? num quando tibi moram attulerit, quo minus concilium advocares, legemque ferres, quod eo die scires de coelo esse servatum? Et, quoniam hic locus unus est, quem tibi cum CAESARE communem esse dicas: seiungam te ab illo, non solum reip. causa, verum etiam CAESARIS, nequa ex tua summa indignitate labes illius dignitati adpersa videatur. Primum quaero, num tu senatui causam tuam permittas, quod facit CAESAR? deinde, quae sit auctoritas eius, qui se alterius facto, non suo defendat? deinde (erumpet enim aliquando ex me vera vox, & dicam sine cunctatione quod sentio) si iam violentior aliqua in re C. CAESAR fuisset, si eum magnitudo contentionis, studium gloriae, praestans animus, excellens nobilitas aliquo impulisset, quod in illo viro & tum ferendum esset, & maximis rebus, quas postea gessit, obliterandum: id tu tibi, furcifer, sumes, & VATINII latronis, ac sacrilegi vox audietur, hoc postulantis, ut idem sibi concedatur, quod CAESARI?



**H** T QVONIAM omnium magnarum rerum a dis immortalibus principia dicuntur.] CICERO libro II. de Legibus, Ordire igitur, inquit Quintus, nam hunc tibi totum dicamus diem. Tum MARCVS, A Iove Musarum primordia, sicut in Aratio carmine orsi sumus. Quorsum istuc? inquit, Q. & fieri sic decet. Quoniam igitur a dis immortalibus principia rerum omnium magnarum ducenda sunt, vult Orator huius quoque Interrogationis initio Vatinius statim de Deorum immortalium pollutis violatisque religionibus interrogare. QVI TE Pythagoricum soles dicere.] Qui soles dicere sacra te dis ex praeceptis institutisque Pythagorae, qui eam sectam sequaris, facere debere. Porro a Pythagora sacrorum omnium ritus promanarunt: nam & Numa ab eo sacrorum rationem accepisse ferebatur, quibus Remp. postea Romanam constituit. VT CVM inaudita ac nefaria sacra susceperis.] Vt cum alteram Romanae religionis partem pollueris. Sacra porro intelligit hoc in loco privata, quae quisque sibi privatim fa-

cere poterat. Nefaria tum dicuntur sacra, cum hostiae immolantur, neque decorae, neque gratae dis. Itaque lege XII. tabularum cavebatur, VT QVAE QVOIQVE DIVO DECORAE ET GRATAE ESSENT HOSTIAE, PROVIDERENTVR. DEOS MANES mactare soleas.] Dis manibus sacrificare. Manes dicebantur inferorum animae, quoniam manare e corpore in corpus credebantur: cuius opinionis autor princepsque fuit Pythagoras.

AVSPICIA, QVIBVS haec Vrbs condita est.] A Romulo aedificari coepta. Quomodo auspicio Romulus Urbem condidit, vide LIVIVM. QVIBVS OMNIS Resp. atque imperium tenetur.] Sine quibus nihil geritur, quod ad Remp. & imperium pertineat. AVGVRVN responsa.] De iis, quae ii, quorum auspicia erant, de coelo servantes viderant, audiverant, senserant, augures respondebant, & quae Deorum voluntas significaretur, signis illis, Senatui docebant. ATQVE EIVS collegii arrogantiam.] Quam alii auctoritatem vocabant, Vatinius arrogantiam nomine invidioso appellabat. Quanta augurum esset in Rep. auctoritas CICERO H.



de Legibus iis verbis docet, Maximum autem, inquit, & praestantissimum in Rep. ius est Augurum, & cum autoritate coniunctum. Neque vero hoc, quia sum ipse Augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse. Quid enim maius est, si de iure quaerimus, quam posse a summis imperiis, summisque potestatibus comitatus & concilia vel instituta dimittere vel habita rescindere? Quid gravius quam rem susceptam dirimi, si unus Augur \* ALIUM dixerit? Quid magnificentius, quam posse decernere ut magistratu se abdicent COS? Quid religiosius, quam cum populo, cum plebe agendi ius dare, aut non dare? Quid leges non iure rogatas tollere? ut \* etiam decreto collegii? ut Livius consilio Philippi Consul & Auguris? Nihil domi, nihil militiae per magistratus gestum posse cuiquam sine eorum autoritate probari? SERVARI NE IN EO FIDEM.] Feceris ne quod facturum Senatui denunciaras. Figurate autem loquitur Orator: neque enim si improbe facturum te ostendas, itaque facias, fidem servare diceris.

CONCILIVM advocares.] Concionem advocares, plebem advocares. Patricios non poterant Tribuni plebis in concionem advocare. Populus vero vel ad comitia sive comitiatus, vel ad concilia convocabatur: ad comitia universus, pars ad concilia. CICERO III. de Legibus, Quid enim, inquit, maius est, si de iure quaerimus, quam posse a summis magistratibus comitiatus & concilia vel instituta dirimere, vel habita rescindere? Vide GELLIVM eo loco ad quem te remittebamus paulo ante. LEGEMQUE ferres.] Rogationes Tribunitiae plebiscita sunt, non leges, si proprie loqui volumus. Lex enim Comitiiis Centuriatis referente patricio magistratu ferri debet. CICERO tamen omnes rogationes leges vocat: credo quod non minus valerent plebiscita, quam leges: plebiscitisque patricii quoque, non secus ac plebs, tenerentur, lata praesertim lege Hortensia.

QVOD scires eo die de coelo esse servatum.] E Vatini collegis tres erant quos de coelo quotidie sciebat Vatinius servare: quemadmodum paulo post dicit Orator. Quod & si sciret, impedimento tamen ea res Vatini nunquam fuit, quo minus cum populo ageret adversus legem Fufiam. Is vero de coelo servare dicitur, qui signa aliqua de coelo captat, e quibus volentibus ne Dis cum populo ageretur, conicere Augures possent. Quod solis magistratibus facere licebat, quemadmodum paulo post dicemus. ET QVONIAM hic locus unus est, quem tibi cum Caesare communem esse dicas.] Et quoniam hic locus unus est de neglectis auspiciis, in quo eandem esse dicas causam tuam & Caesaris, cui moram nullam unquam attulit quo minus populum convocaret, legemque ferret, quod M. Bibulum collegam de coelo quotidie servare sciret. CICERO pro Domo sua, Tu

Marcum Bibulum in concione, tu Augures produxisti: te interrogante Augures responderunt, Cum de coelo servatum sit, cum populo agi non posse: tibi M. Bibulus quaerenti se de coelo servasse respondit: idemque in concione dixit ab Apio fratre tuo productus, te omnino, quod contra auspicia adoptatus esses, Tribunum plebis non fuisse. Tua denique omnis actio posterioribus mensibus fuit, omnia quae C. Caesar egisset, quae contra auspicia essent acta, per senatum rescindi oportere. SEIVNGAM TE AB ILLO.] Docebo, quantum inter tuam & illius causam interfit. NON SOLVM Reip. causa.] Quam peturbari erit necesse, si Caesaris acta rescindi velimus, quoniam contra auspicia egisset Caesar; neque enim hominibus eripi potuissent, quae legibus Iulii consecuti erant, sine rerum omnium confusione. SENATVI CAVSAM tuam permittas.] Senatui causae tuae cognitionem deferas. QVOD FACIT Caesar.] SVETONIVS in D. Iulio, Functus, inquit, Caesar consulatu referentibus C. Memmio L. Domitio Praett. de actis superioris anni, cognitionem Senatui detulit.

DEINDE quae sit auctoritas eius.] Deinde audiri ne is debeat, qui non quod ipse benefecerit, sed quod alius similiter fecerit, se defendit. SI EVM magnitudo contentionis.] Si tam vehementer ad contentionem cum M. Bibulo collega de agro Campano susceptum Caesar incubuisset. STUDIVM gloriae.] Gloriam cupiditas, quae efficit, ut velimus multos mortales beneficiis devincire: quod Caesar agrum Campanum dividendo consequi sperabat. PRAESTANS animus, excellens nobilitas.] Quae vinci nesciunt. De sua nobilitate ita CAESAR ipse in ea oratione, qua vitam suam Iuliam mortuam in concione pro more laudavit. Amittae, inquit, meae Iuliae maternum genus ab Regibus ortum, paternum cum Dis immortalibus coniunctum est. Nam ab Anco Martio sunt Martii Reges, quo nomine fuit mater, a Venere Iulii, cuius gentis familia est nostra; ita in genere & regum sanctitas est, & deorum ceremoniae. ALIQUO impulisset.] Ut leges contra auspicia ferret, impulisset. QVOD ET TVM ferendum esset.] Cum adiutoribus Pompeio & Crasso ad ferendas leges uteretur, quibus resisti non posset. Vide PLVTARCHVS in Caesare. ET MAXIMIS rebus quas postea gessit. CICERO in Oratione de Provinciis Consularibus. Itaque cum acerrimis nationibus & maximis Germanorum & Helvetiorum Caesar praeliis felicissime decertavit: caeteras contrivit, compulit, domuit: Imperio populi Romani parere assuefecit: & quas regiones, quasque gentes nullae nobis antea literae, nulla vox, nulla fama notas fecerat, has noster Imperator nosterque exercitus, & populi Romani arma peragrarunt. ID TV TIBI, furcifer, sumes.] Id tu tibi homo indignissime arrogabis? Furciferi servi, qui ob flagitium aliquod, plaustrum



plaustrum lignum, cui temo affigitur, quae furca dicta est, circumferre per urbem, aut vicinitatem a dominis cogebantur, ignominiae magis quam supplicii causa.

ET AUDIETUR *Vatini latronis ac sacrilegi*

vox.] Et ferent homines Vatinium latronem hostemque omnium religionum id sibi licere postulantem, quod licuerit C. Caesari? *Sacrilegum* non minus vocavit, qui sacra religionesque violavit, quam qui rem sacram furto sustulit.

C A P V T S E P T I M V M.

*Sic enim ex te quaero. Tribunus pleb. fuisti; seiunge te a consule; collegas habuisti viros fortes novem; ex his tres erant, quos tu quotidie sciebas servare de coelo: quos irridebas, quos privatos esse dicebas: de quibus duos praetextatos sedentes vides, te aedilitiam praetextam togam, quam frustra conseceras, vendidisse: tertium scis ex illo obsesso, atque afflicto tribunatu, consularem auctoritatem, hominem esse adolescentem consecutum: reliqui sex fuerunt: ex quibus partim plane tecum sentiebant, partim medium quendam cursum tenebant; omnes habuerunt leges promulgatas: in his multas meus necessarius, etiam de mea sententia, C. COSCONIVS iudex noster: quem, tu disrumperis, cum aedilitium vides. Volo uti mihi respondeas, num quis ex toto collegio legem sit ausus ferre, praeter unum te? quae tanta in te fuit audacia: quae tanta vis: ut, cum novem tui collegae sibi timendum esse duxerint, id unus tu, emersus e coeno, omnium facile omnibus rebus infimus, contemnendum, despiciendum, irridendum putares? num quem post Urbem conditam scias tribunum pleb. egisse cum plebe, cum constaret servatum esse de coelo? Simul etiam illud volo uti respondeas, cum, te tribuno plebis, esset etiam tum in repub. lex Aelia, & Fusia: quae leges saepenumero tribunitios furores debilitarunt, & represserunt, quas contra, praeter te, nemo unquam est facere conatus, quae quidem leges anno post, sedentibus in templo duobus non consulibus, sed proditoribus huius civitatis, ac pestibus, una cum auspiciis, cum intercessionibus, cum omni iure publico conflagraverunt: ecquando dubitaris contra eas leges cum plebe agere, & concilium convocare? numquam ex tribunis pleb. quicumque seditiosi fuerint, tam audacem audieris fuisse, ut unquam contra legem Aeliam, aut Fusiam concilium advocaret?*



OLLEGAS habuisti viros fortes novem.] Hinc colligas x fuisse Tribunos plebis cum Vatinius Trib. pleb. novem collegas habuerit. Vir autem fortis est, vir magni & acris animi; sic enim CICERO pro Sestio,

*Vnum enim mi restabat illud, quod forsitan non nemo vir fortis, & acris animi magnique TERTIUS in Phormione,*

*G. O vir fortis atque amicus; verum hoc saepe Phormio*

*Vereor, ne ista haec fortitudo in nervum erumpat denique.*

*Idem in Andria, D. — Dum licitum est, dumque aetas tulit,*

*Amavit, tum id clam; cavet ne unquam infamiae*

*Ea res sibi esset, ut virum fortem decet.*

EX HIS tres erant.] Cn. Domitius, Q. Ancharius, C. Fannius. CICERO pro Sestio,

*Fuit collegium nuper Tribunitium, in quo tres minime, vehementer duo populares existimabantur; ex iis qui populares non habebantur, quibus in illo genere conductarum concionum consistendi potestas non erat, duo a populo Romano Praetores video esse factos: & quantum sermonibus vulgi & suffragiis intelligere potui, prae se populus Romanus ferebat, sibi illum in Tribunatu Cn. Domitii animum constantem & egregium, atque Q. Ancharii fidem ac fortitudinem, etiam si nihil agere potuissent, tamen voluntate ipsa gratum fuisse. Iam de C. Fannio quae sit existimatio videtis, quod iudicium populi Romani in eius honoribus futurum sit, nemini dubium videri debet. Qvos privatos esse dicebas.] Quibus, cum privatos eos duces, de coelo servare non esse ius existimabas; iis enim de coelo licebat servare, quibus cum populo agere licebat: hoc est, quemadmodum in legibus XII tabularum scriptum est, CONSULI, PRAETORI, MAGISTRO POPULI EQUI- TUMQUE, EIQUE QVEM PATRES PRO-*



DVNT CONSVLVM ROGANDORVM ERGO, TRIBVNISQVE QVOS SIBI PLEBES ROGASSIT.

DE QVIBVS duos praetextatos.] Praetoria praetexta indutos. Cn. Domitium & Q. Ancharium dicit: qui Praetores facti erant: quemadmodum paulo ante dicebamus. SEDENTES vides.] De causa Sestii iudicantes. Sedere pro Iudicare non semel dixit CICERO. Sic ad Atticum epistola 16. L. v. Deinde, inquit, Apameae quinque dies morati, & Synnadis triduum, Philomeri quinque dies, Iconii x sedimus. Quo in loco nescio quis pro SEDIMVS reposuerat FECIMVS, fatis inconsiderate. Cuius rei nisi tu me monuisses, AEMYLI, hoc tibi per me literati nunc non deberent.

TE AEDILITIAM praetextam.] Maiores magistratus, hoc est patrici, praetexta utebantur, sed non eadem omnes. Aedilibus autem ius fuisse praetextae CICERO testis est lib. in Verrem v. Nunc sum, inquit, designatus Aedilis: habeo rationem, quid a populo Romano acceperim, mihi ludos sanctiss. maxima cum caeremonia Cereri, Libero, Liberaeque faciundos. Ac verbis aliquot interpositis, Ob earum, inquit, rerum laborem & sollicitudinem fructus illos datos antiquiorem in Senatu sententiae dicendae locum, togam praetextam, sellam Curulem, ius, imagines ad memoriam posteritatemque prodendam. De Praetexta ita MACROBIUS, Tullus Hostilius rex Romanorum tertius, debellatis Hetruscis, sellam Curulem, lictoresque, & togam pictam, atque praetextam, quae insignia magistratuum Hetruscorum erant, primus ut Romae haberentur instituit. Plura qui volet, MACROBIUM ipsum legat cap. v. libro Saturnaliorum primo.

TERTIVM scis ex illo obsesso atque afflictio Tribunatu auctoritatem Consularem hominem esse adolescentem consecutum.] C. Fannium intelligit; de quo in Orat. pro Sestio loco a nobis paulo ante citato: Cuius voluntas in Tribunatu grata populo Romano fuit, & si nihil agere potuisset. Quae ratio est, cur obsessum atque afflictum dicat eius Tribunatum. De C. Curione filio posset commodissime intelligi hic locus, cui, quoniam unus is palam Caesari adversabatur, quemadmodum ad Atticum scribit CICERO, plausus maximi, consultatio forensis perhonorifica, signa praeterea benevolentiae permulta a bonis impertiebantur: nisi Tribunum cum Vatinius non fuisse sciremus. CONSVLAREM auctoritatem.] Summam auctoritatem, parem Consulibus; neque enim putandum est Consulem esse factum C. Fannium: cum de eo ita CICERO, Quod iudicium populi Romani futurum sit, in eius honoribus nemini dubium videri debet.

EX QVIBVS partim plane tecum sentiebant.] Fusium intelligit: de quo epist. ad Atticum cuius initium est, Accepi aliquot epistolas. Curioni,

inquit, signa benevolentiae permulta a bonis impertiantur. Fusium clamoribus & convitiis & sibilis confectantur. OMNES habuerunt leges promulgatas.] Per trinum nundinum leges promulgabantur, antequam ferri inciperent, ut populo spatium daretur ad cognoscendam legem. CICERO pro domo sua, Haec homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter atque a me dicta erant, detulerunt; hora nona eo ipso die tu es adoptatus. Si quod in caeteris legibus trinum nundinum esse oportet, id in adoptione satis est trium esse horarum, nihil reprehendo.

C. COSCONIVS.] Filius fortasse eius C. Cosconii, cuius antea mentionem fecimus, qui ex Praetura missus in Hispaniam Vltiorem est cum imperio Proconsulari. QVAE tanta vis.] Quod tantum animi robur. VT CVM tui novem collegae &c.] Legendum puto, VT QVOD TVI NOVEM COLLEGAE. aliter si legas, illud ID quod sequitur, quo referri possit, non habebit. Quod autem collegas Vatinii deterrebat a ferendis legibus, erat quod sciebant quotidie de coelo servari; id quod Vatinus contemnebat. POST urbem conditam.] Post Romam auspiciato constitutam; scelus siquidem summum putabant, in ea urbe auctoritatem auspiciorum contemnere, quae auspiciato esset condita. CVM TE Tribuno plebis esset etiam tum in Rep. lex Helia, & Fusia.] Cum non dum Clodius leges Heliam & Fusiam sua rogatione sustulisset de Republica, cum etiam tum valerent in civitate. De legibus Aelia & Fusia antea diximus. QVAE quidem leges anno post.] A Gabinio, L. Pisone COSS. PRAESIDENTIBVS in templo.] Alii libri, Seditibus, hoc est, inspectantibus: quae mihi lectio magis placet. CICERO pro Sestio, Iisdem Consulibus seditibus atque inspectantibus lata lex est, ne auspicia valerent, ne quis obnunciaret, ne quis legi intercederet: ut omnibus fastis diebus legem ferre liceret: ut lex Helia, lex Fusia ne valerent. TEMPLVM autem dicit aedem Castoris. DVOBVS non Consulibus, sed proditoribus huius civitatis.] Quae eis tuenda commissa erat: siquidem COSS. salus populi suprema lex erat, quemadmodum scriptum est in legibus XII tabularum. REGIA POTESTATE COSS. DVO SVNTO, OLLIS SALVS POPVLI SVPREMA LEX ESTO. Duo autem illi proditores civitatis erant Gabinus & Piso: qui precio provinciarum Tribuno plebis Clodio Reipub. salutem addixerant. VNA CVM auspiciis.] Rogatione Clodia non solum lex Fusia, sed ipsa etiam auspicia magna ex parte tollebantur. auspicia, quoniam diebus fastis per eam non licebat servare: lex vero Fusia, quoniam cum lex Clodia servare de coelo prohiberet diebus iis, quibus cum populo agi esset fas, hoc est fastis omnibus diebus, nullus legis Fusiae relinquebatur usus, quae prohibebat eo die cum populo agere, quo sci-



sciretur de coelo esse servatum. *CVM intercessionibus.*] Cum obnunciationibus: (neque enim aliae intercessionibus lege Clodia tollebantur.) quae lege Aelia confirmabantur. *CVM*

*omni iure publico.*] Ius in *publicum* & *Privatum* dividitur: *Publicum* est, quod ad statum rei Romanae spectat: *Privatum*, quod ad singulorum utilitatem.

C A P V T O C T A V V M.

*Quaero illud etiam ex te, conatusne sis, voluerisne, denique cogitaris, (est enim res eiusmodi, ut, si tibi modo in mentem venit, nemo sit, qui te nullo cruciatu esse indignum putet) cogitarisne, in illo tuo intolerabili, non regno (nam cupis id audire) sed latrocinio, augur fieri in Q. METELLI locum? ut, quicumque te adspexisset, duplicem dolorem, gemitumque susciperet, & ex desiderio clarissimi, & fortissimi civis, & ex honore turpissimi atque improbissimi? Adeone non labefactatam remp. te tribuno, neque conquassatam civitatem, sed captam hanc urbem, atque eversam putares, ut augurem VATINIVM ferre possemus? Hoc loco quaero, si, id quod concupieras, augur factus esses: in qua tua cogitatione nos, qui te oderamus, vix dolorem ferebamus: illi autem, quibus eras in deliciis, vix risum tenebant: sed quaero, si ad caetera vulnera, quibus putasti rempub. deleri, hanc quoque mortiferam plagem inflixisses auguratus tui, utrum decreturus fueris id, quod augures omnes usque a ROMULO decreverunt, Iove fulgente, cum populo agi nefas esse, an quia tu semper sic egisses, auspicia fueris augur dissoluturus? Ac, ne diutius loquar de auguratu tuo, quod invitatus facio, ut recorder ruinas reipub. neque enim tu unquam, stante non modo maiestate horum, sed etiam Vrbe, te augurem fore putasti.*



**I**N ILLO tuo latrocinio.] In illo tuo Tribunatu. *Latrocinium* interim pro *latrocinatione* ipsa sumitur, ut *hoc in loco*. Interim pro *latronum manu*. *CICERO pro Domo sua, In eius regnum immisisti huius civitatis latrocinium. AVGVRI fieri.*] Qui patricius non esses, neque functus maioribus magistratibus; cum *legibus XII tabularum* cautum sit, auspicia Patrum esse debere. Verba legis haec sunt, *AVSPICIA PATRVM SVNTO. PRO Q. Metello.*] Qui cum auguratum petere cogitaret, missus cum aliqua vel curatione vel potestate a Senatu sit: vel, quod ego magis puto, urbem reliquerit Caesaris, Pompeii, Crassique odio sit. *CICERO ad Atticum epist. cuius est initium, Cupido equidem: De istis, inquit, rebus expecto tuas literas, quid Arrius narret, quo animo se destitutum ferat, & qui Consules parentur, utrum ut populi sermo, Pompeius & Crassus: an, ut mihi scribitur, cum Gabinio Ser. Sulpitius: & num quae novae leges, & num quid novi omnino: &, quoniam Nepos proficiscitur, cuinam auguratus deferatur. Vbi*

*Q. Metellum Nepotem sine dubio intelligit. Quo in loco si proficiscitur pro MORITVR positum est, quod quidam volunt, Vatinius Auguratum petisse in Q. Metelli demortui locum dicemus: quod mihi non placet: cum de eo aliquot epistolis post, ut de vivo, scribat CICERO, Deinde exprompsit Curio suum, Nepotisque odium in Caesarem & Pompeium. Dignus te nodus hic est, AEMYLI: quare eum nobis solve.*

*CVM ut quicumque.] Cum mihi videtur redundare.*

*ILLI autem, quibus eras in deliciis.] Caesar, & Pompeius, quibus eras in amoribus, a quibus tu Augur fieri sperabas. CICERO epist. ad Atticum cuius est initium, Subito cum mihi: Proinde isti licet faciant quos volent Consules, Tribunos plebis, denique etiam Vatinius strumam sacerdotii dipapho vestiant: videbis brevi tempore &c. QVOD Augures omnes usque a Romulo.] Qui primus auspicia constituit, augurque primus fuit. *SIC egisses.] Iove fulgente; aut denique contra auspicia. MAIESTATE horum.] Populi Romani est maiestas.**



## CAPVT NONVM.

*Verum tamen, ut somnia tua relinquam, ad scelera veniam, volo uti mihi respondeas: cum M. BIBVLVM consulem, non dicam bene de repub. sentientem, ne tu mihi homo potens irascare, qui ab eo dissensisti: sed hominem certe nusquam progredientem, nihil in repub. molientem, tantum animo ab actionibus tuis dissentientem: cum eum tu consulem in vincula duceres, & a tabula Valeria collegae tui mitti iuberent: fecerisne ante Rostra pontem, continuatis tribunalibus per quem consul populi Romani moderatissimus, & constantissimus, sublato auxilio, exclusis amicis, vi perditorum hominum incitata, turpissimo, miserrimoque spectaculo, non in carcerem, sed ad supplicium, & ad necem duceretur? quaero, num quis ante te tam fuerit nefarius, qui id fecerit? ut sciamus, utrum veterum facinorum sis imitator, an inventor novorum. Idemque tu cum his, atque huiusmodi consiliis, ac facinoribus, nomine C. CAESARIS, clementissimi, atque optimi viri, scelere vero, atque audacia tua, M. BIBVLVM foro, curia, templis, locis publicis omnibus expulisses, inclusum domi contineres, cumque non maiestate imperii, non iure legum, sed ianuae praesidio, & parietum custodiis, consulis vita tegetur: miserisne viatorem, qui M. BIBVLVM domo vi extraheret, ut, quod in privatis semper est servatum, id, te tribuno pleb. consuli domus exsilium esse non posset? Simulque mihi respondeo tu, qui nos, qui de communi salute consentimus, tyrannos vocas, fuerisne non tribunus pleb. sed intolerandus ex coeno nescio qui, atque ex tenebris tyrannus? qui primum eam rempublicam, quae auspiciis inventis constituta est, iisdem auspiciis sublatis conarere pervertere: deinde sanctissimas leges, Aeliam, & Fusiam dico, quae in GRACCHORVM ferocitate, & in audacia SATVRNINI, & in colluvione DRVSI, & in contentione SVLPICII, & in cruore Cinnano, etiam inter Sullana arma vixerunt, solus conculcaris, ac pro nihilo putaris: qui consulem morti obieceris, inclusum obsederis, extrahere ex suis tectis conatus sis: qui in eo magistratu non modo emerferis ex mendicitate, sed etiam divitiis nos iam tuis terreas: fuerisne tanta crudelitate, ut delectos viros, & principes civitatis tollere, & delere tua rogatione conareris?*



OMNIA tua.] Vanas spes & cogitationes de Auguratu. M. BIBVLVM.] Calphurnianum, Caesaris collegam. BENE de Rep. sentientem.] Bene de Rep. sentire est, sane sentire, ea sentire quae patriae sunt salutaria. NE TV mihi homo potens irascaris.] Homo dives; sic enim hac eadem Oratione CICERO, Qui iam nos tuis divitiis terreas. Atque alio loco, Et quoniam aliorum pecuniam despicias, de tuis divitiis intolerantissime gloriaris, &c. TARENTIVS in Eunucho,

Quis est tam potens cum tanto munere hoc?  
Idem in Adel.

Sed Demea hoc tu facito tecum cogites,  
Quam vos facillime agitis, quam estis maxime

Potentes, dites, fortunati, nobiles.

Idem in Heautontim.

Mea est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis.

Quod autem Orator dicit ideo se non dicere

M. Bibulum bene de Rep. sensit, quod Vatinius in se nolit irritare, qui ab eo dissenserat, mihi eius reticentiae verior causa videtur, quod Caesarem nollet offendere, qui Bibulo pulso foro, curia, templis omnibus, locis omnibus publicis, domi concluso & obsesso, solus omnia in magistratu gesserat. TANTVM animo ab actionibus tuis dissentientem.] Qui domo abditus nihil aliud, quam per edicta obnunciabat: quem admodum in D. Iulio SVETONIVS. De quibus edictis ita CICERO ad Atticum, Bibulus hominum admiratione & benevolentia in coelo est: edicta eius & conciones describunt, & legunt. Ac rursus epistola sequente, Itaque Archilochia in illum edicta Bibuli ita sunt populo iucunda, ut eum locum ubi proponuntur, prae multitudine eorum qui legunt, transire nequeamus. CVM eum tu Consulem in vincula duceres.] Tribuni plebis Consules in vincula ducere poterant. Quis primus Consules in vincula duci iusserit, scribit CICERO III. de Legibus, Et si, inquit, quinquennio ante D. Brutum & P. Scipionem Consules (quos & quantos viros?) homo omnium infimus &



& sordidissimus, Trib. plebis P. Curiatus in vincula coniecit, quod ante factum non erat. A TABVLA Valeria.] Tabulae Valeriae meminit CICERO in epist. 2. Lib. XIV. quoque ad Terentiam uxorem, cuius est initium, *Noli putare: iis verbis, Nam ad me P. Valerius homo officiosus scripsit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum a Vesta ad Tabulam Valeriam ducta esses.* Quem ego locum sic intelligo, ut cum in carcerem duceretur Terentia, ad Tabulam usque Valeriam tantum ducta sit, & inde missa. *Ducere & Duci* apud CICERONEM significant *Ducere & Duci in vincula.* CICERO *Oratione in Verrem III.* quem ego librum II. voco, *SI NON ACCIPIS QVOD TE DEBERE DICIS, ACCVSES: SI PETITVR, DVCAS.* Verba sunt ex Verris edicto provinciali; sequuntur CICERONIS verba, *C. Fusitium duci iussit petitorum, L. Suetium, L. Racilium.* Quos igitur non vinculis coercere, sed ignominia tantum carceris afficere magistratus volebat, ad Tabulam usque Valeriam duci iubebat. Quid loco nomen dederit, divinare non possum, AEMYLI: neque vero audeo, ad te scribens: fortasse posita eo loco erat Tabula foederis omnium vetustissimi, quod quidem populus Romanus sub Rege Tullo Feciali Marco Valerio cum Albanis percusserrat: cuius meminit, quemadmodum scis, LIVIVS. Foedera solere locis publicis poni & affigi ad memoriam insequentis temporis sempiternam, testis est CICERO in *Oratione pro Cornelio Balbo:* in ea scriptum sic est, *Cum Latinis omnibus foedus ictum Spurio Cassio, Posthumio Cominio COSS. quis ignorat? quod nuper meminimus in columna aenea post rostra incisum & perscriptum esse. FECERIS ne ante rostra pontem.*] Naves Antiatum partim in navalia Romae subductae, partim incensae: rostrisque earum suggestum in foro extructum adornari placuit: *Rostraque* id templum appellatum est LIVIVS. CONTINVATIS *Tribunatibus.*] Pro Tribunalibus sedebant Praetores, de causisque iudicabant. In foro erant, ubi quoque erant Rostra. CICERO *hac eadem Oratione, Quaero ex te, Vatini, Num quis reus in Tribunal sui quaestoris ascenderit, eumque vi deturbarit, subsellia dissipavit, urnas deleverit, eas denique omnes res in iudicio disturbando commiserit, quarum rerum causa iudicia sunt constituta: scias ne tum fugisse Memmium, accusatores esse tuos de tuis tuorumque manibus ereptos, Iudices Quaestionum de proximis Tribunalibus esse depulsos, in foro, luce, inspectante populo Romano quaestionem, magistratus, morem maiorum, leges, iudices, reum, poenam esse sublatam.* Minores Iudices, quales erant Centumviri, de subselliis iudicabant: unde *subsellia* pro minoribus Iudiciis ponit CICERO. Sic enim scriptum est in *Divinatione, Verum tamen L. Apuleium esse video proximum subscriptorem, hominem non aetate, sed usu forensi*

*atque exercitatione tyronem. Deinde ut opinor habet Alienum, hunc tamen a subselliis. Continuaverat autem Vatinius Tribunalia, materia superiniecta de Tribunali in tribunal. ET constantissimus.] Perpetua apud Ciceronem Bibuli laus est constantiae. Sic enim in Oratione pro domo sua, Adest praesens vir singulari virtute, constantia, gravitate praeditus M. Bibulus. Item alio loco, Constantem multa fecit in Consulatu M. Bibulus.*

*SVBLATO auxilio, exclusis amicis.] Pontis altitudine. C. CAESARIS clementiss. atque opt. viri.] Caesar clemens natura fuit. M. BIBULVM foro c. t. l. p. o. expulisses.] Id Caesarem fecisse scribit SVETONIUS: cuius verba haec sunt, *Lege Agraria promulgata, obnunciantem collegam armis foro expulit.**

*MISERIS ne viatorem. CICERO in Catone Maiore, A villa arcessiebantur in Senatum Curii & caeteri senes: ex quo qui eos arcessiebant, Viatores sunt nominati. VT QVOD in privatis semper est servatum.] Neminem domo sua extrahere, per vim atque eripere licebat. Unde apud TERENCEM Sannio cum de iniuriis adolescentis quereretur, *Domo, inquit, me eripuit, verberavit.**

*SANCTISSIMAS leges Heliam & Fusiam.] Sanctionibus communitas. Sanctiones autem dicuntur partes illae legum, quibus poenas constituimus iis, qui adversus leges fecerint. Sanctus autem a Sagminibus dicitur. Sagmina herbae sunt, quas Romanorum Legati ferebant. QVAE in Gracchorum ferocitate.] Gracchos aetas faciebat feroces & vehementes. Ferocitas adolescentiae est, ut scribit in *Catone Maiore* CICERO. De utroque Graccho Tyb. & C. vide PLVTARCHVM in *vita Gracchorum:* Leges quas Tyberius tulit, promulgavit, sunt Agrariae leges duae: altera, *Nequis ex publico agro plusquam decem iugera possideret:* quam adversus voluntatem Senatus & Equestris ordinis tulit. Promulgavit & aliam legem Agrariam, qua si quis latius agrum patefaceret, ut ipse, & C. frater & Ap. Claudius socer Triumviri iudicarent qua publicus ager, qua privatus esset. C. vero Gracchus Frumentariam legem tulit, *ut semisse & triente frumentum populo daretur;* tulit & Agrariam legem quam frater eius tulerat; tulit & tertiam, ut *D. C. equites ccc Senatoribus admiscerentur:* hoc est ut equester ordo bis tantum virium in Senatu haberet. CICERO in *Oratione pro Sestio & Agrariae legis Tyb. Gracchi, & Frumentariae C. meminit his verbis, Agrariam Tyb. Gracchus legem ferebat: grata erat populo, fortunae constitui tenuiorum videbantur; nitebantur contra optimates, quod ea discordiam excitari videbant: & cum locupletes possessionibus diuturnis moverentur, spoliari Remp. propugnatoribus arbitrabantur. Frumentariam legem C. Gracchus ferebat: iucunda res plebi Romanae: victus**



victus enim suppeditabatur large sine labore. Quas leges Gracchi, etsi cives erant turbulenti, non tamen contra auspicia tulerunt. ET IN AVDACCIA Saturnini.] Cn. Apuleius Saturninus homo natura audax adiuvante C. Mario, occiso A. Numio competitore Tribunus plebis creatus, legem Agrariam per vim tulit. Audacem eum vocat Orator, quoniam & competitorem Tribunatus, & C. Memmii Consulatus candidatum, quem maxime actionibus suis adversarium timebat, interemit. Eo tamen furoris devenit nunquam, ut contra leges Heliam & Fufiam facere conatus sit. ET IN colluvione Drusi.] Civitatis confusione, immixtis in urbem Italicis omnibus populis, quos spe civitatis sollicitarat, quibus adiuvantibus leges tulit perniciosas, Agrariam, Frumentariam, & Iudiciariam, ut aequa parte penes Senatum & Equestrem ordinem iudicia essent. Quae leges Liviae dicuntur a M. Livio Druso latore: qui tamen auspiciores auctoritatem iis ferendis nunquam contempsit.

ET IN contentione Sulpitii.] Adversus Coss. L. Syllam, Q. Pompeium Rufum: quibus adversantibus leges promulgavit perniciosas, Ut

novi cives libertinique distribuerentur in Tribus. ET IN cruore Cinnano.] L. Cornelius Cinna in urbem receptus, velut captam eam caedibus & rapinis vastavit. ETIAM inter arma Sullana vixerunt. Sylla Rep. occupata leges multas tulit: nam & Tribuniciam imminuit potestatem & ius ferendarum legum ademit, & Pontificum collegium auxit. Quomodo Tribuniciam imminuerit potestatem docet III. de Legibus his verbis Q. Ciceronis Frater. Quamobrem, inquit, in ista quidem re vehementer Sullam probo, qui Tribuni plebis sua lege iniuriae faciendae potestatem ademerit, auxiliique ferendi reliquerit, Pompeiumque nostrum caeteris rebus omnibus semper amplissimis summisque effero laudibus: de Tribunitia potestate taceo: neque enim reprehendere libet, nec laudare possum.

QUI EX eo magistratu non modo emerferis ex mendicitate.] CICERO hac eadem Oratione, Quae cum ita sint, quaero ex te sis ne ex pauperismo dives factus in illo ipso anno, quo lex lata est acerrime de pecuniis repetundis. TOLLERE & delere.] Civitate privare.

## CAPUT DECIMUM.

Cum L. VECTIVM, qui in senatu confessus esset se cum telo fuisse, CN. POMPEIO, summo, & clarissimo civi, suis manibus necem afferre voluisse, in concionem produxeris, indicem in Rostris, in illo, inquam, augurato templo, ac loco collocaris, quo auctoritatis exquirendae causa caeteri tribuni plebis principes civitatis producere consueverunt, ibi tu indicem VECTIVM, linguam, & vocem suam sceleris, & menti tuae praebere voluisti, ut diceret L. VECTIVS in concione tua, rogatus a te, se auctores, & impulsores, & socios habuisse sceleris illius eos viros, quibus e civitate sublatis, quod tu eo tempore moliebare, civitas stare non posset? M. BIBULVM, cuius inclusione contentus non eras, interficere volueras, spoliaveras consulatu, patria privare cupiebas: L. LUCVLLVM, cuius tu rebus gestis, quod ipse ad imperatorias laudes a puero videlicet spectatas, vehementius invidebas: C. CURIONEM, perpetuum hostem improborum omnium, auctorem publici consilii, libertate communi tuenda maxime liberum, cum filio principe iuventutis, cum rep. coniunctiore etiam, quam ab illa aetate postulandum fuit, delere voluisti: L. DOMITIVM, cuius dignitas, & splendor praestringebat, credo, oculos VATINII, quem tu propter commune odium in bonos, oderas: in posterum autem propter omnium spem, quae de illo est, atque erat, ante aliquanto timebas: L. LENTVLM hunc iudicem nostrum, flaminem Martialem, quod erat eo tempore Gabinii tui competitor, eiusdem VECTII indicio opprimere voluisti. Qui si tum illam labem, pestemque vicisset, quod ei tuo scelere non licuit, resp. victa non esset. Huius etiam filium eodem indicio, & crimine, ad patris interitum aggregare voluisti. L. PAVLLVM, qui tum quaestor Macedoniam obtinebat, quem civem? quem virum? qui duos nefarios patriae proditores, domesticos hostes, legibus exterminarat, hominem ad conservandam remp. natum, in idem VECTII indicium, atque in eundem hunc numerum congregasti. Quid ego de me querar? qui etiam gratias tibi agere debeo, quod me ex fortissimorum civium numero seiungendum non putaris.





VM ENIM L. *Vectium*.] Legendum videtur, Cum L. *Vectium*. QVI IN Senatu confessus esset.] *Vectii* consilium detulerant Curiones ad Pompeium, Pompeius ad Senatum: vocatus itaque est in Senatum *Vectius*. CVM telo.] Cum pugione, quem sibi a Bibulo Consule per eius scribam C. Septimium missum *Vectius* dicebat. *Telum* autem, ut scribit CAIVS Iurisconsultus in interpretatione legum XII. tabularum, vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur: sed & id omne significat, quod manu cuiusque iacitur. Sequitur ergo ut lignum, lapis, ferrum hoc nomine contineatur: dictum ab eo, quod in longinquum mittitur, a Graeca voce  $\tau\eta\lambda\acute{\epsilon}$ . Haec CAIVS.

VT DELECTOS viros.] LIVIVS lib. v. Decadis III. Concilium quidem universae gentis post dimissos Romanos non habuerunt: per apocletos autem (ita vocant sanctius concilium: ex delectis constat viris:) id agitabant, quonam modo res in Graecia novarentur. Ex quo loco colligimus, qui *Delecti* dicantur viri, ii scilicet, qui ad civitatis consilium sanctius adhibentur, qui iidem principes civitatis dicuntur. NECEM afferre voluisse.] Cur id de se confessus sit *Vectius*, quaeque *Vectiani* totius indicii causa, & quae item ratio, CICERO ad Atticum iis verbis scribit, *Vectius* ille, ille noster index Caesari, ut perspicimus, pollicitus est, sese curaturum, ut in aliquam suspicionem facinoris Curio filius adduceretur. Itaque insinuatus in familiaritatem adolescentis, & cum eo ut res indicat, saepe congressus, rem in eum locum deduxit, ut diceret sibi certum esse cum suis servis in Pompeium impetum facere, eumque occidere. Hoc Curio ad patrem detulit: ille ad Pompeium: res delata ad Senatum est. Introductus *Vectius* primo negabat se unquam cum Curione restitisse: neque id sane diu: nam statim fidem publicam postulavit. Reclamatum est. Tum exposuit manum fuisse iuventutis duce Curione, in qua Paulus initio fuisset, & Cn. Cepio, hic Brutus, & Lentulus Flaminis filius conscio patre: postea C. Septimium Scribam Bibuli pugionem sibi a Bibulo attulisse; quod totum irrisum est, *Vectio* pugionem defuisse, nisi ei Consul dedisset; eoque magis id reiectum est, quod ad III. Idus Maii Bibulus Pompeium fecerat certiore, ut caveret insidias, in quo ei Pompeius gratias egerat. Introductus Curio F. dixit ad ea quae *Vectius* dixerat: maximeque in eo tum quidem *Vectius* est reprehensus, quod dixerat adolescentum consilium ut in foro cum gladiatoribus Gabinii Pompeium adorirentur, in eo principem Paulum fuisse, quem constabat eo tempore in Macedonia fuisse. Fit S. C. ut *Vectius* quod confessus fuisset se cum telo fuisse, in vincula coniceretur: qui eum emisisset, contra Remp. eum esse facturum. Res erat in ea opinione, ut putarent id

esse actum, ut *Vectius* cum pugione in foro, & item servi eius cum telis comprehenderentur; deinde ille se diceret indicaturum: idque ita actum esset, nisi Curiones rem ante ad Pompeium detulissent. IN CONCIONEM produxeris.] Privati non poterant cum populo agere, nisi data a magistratu concione. A Vatinius in concionem hic dicit CICERO *Vectium* productum, ad Atticum vero scribens, a Caesare; verba haec sunt, Postero autem die Caesar, is qui olim Praetor cum esset Q. Catulum ex inferiore loco iusserat dicere, *Vectium* in rostra produxit: eumque in eo loco instituit, quo Bibulo Coss. aspirare non liceret. INDICEM in rostris.] Indicare est de suo facto confiteri, quemadmodum antea dicebamus. Index igitur, ut scribit ASCONIVS, qui facinoris cuius ipse est conscius, latebras indicat impunitate proposita. IN ILLO inquam augurato templo.] Tempora vocabant loca undique patencia, augurato delecta, verbisque conceptis dedicata. Itaque Rostra templum erant. LIVIVS quoque Rostra templum vocat eo loco, quem antea, cum de Rostris scriberemus, citabamus. TERENCEIVS in Eunucho, Coelum templum facit. Qui templa coeli summa sonitu concutit. CICERO item in Somnio Scipionis, Quaesio, inquit Africanus, quousque humi defixa tua mens erit? non me vides quae in templa veneris? Novem tibi orbibus, vel potius globis, connexa sunt omnia.

AUTHORITATIS exquirende causa.] Ad confirmandas suas rogationes. Sic Manilius Tribunus pl. Ciceronem in concionem produxit, ut is suam legem populo suaderet. SCELERI & menti tuae.] Mens est, quae excogitat & comminiscitur, animus qui cupit. TERENCEIVS in Andria, Mala mens, malus animus; quem quidem ego si sensero.

IN CONCIONE tua.] A te non a Caesare vocata. A TE rogatus.] Non a Caesare. EOS viros.] Qui Caesaris actionibus adversabantur: praesertim vero Curionem filium, quemadmodum paulo ante dicebamus.

SPOLIAVERAS Consulatu.] Consulari omni potestate privaras.

L. LVCVLLVM.] L. Licinium Lucillum: qui Caesari vehementius resistebat. Sic enim SVETONIVS in D. Iulio, Caetera item, inquit, quae cuique voluit dilargitus est Caesar contradicente nullo, ac si conaretur quis, absterrito. M. Catonem interpellantem extrahi curia per licitorem ducique in carcerem iussit. L. Lucullo liberius restitenti tantum calumniarum metum iniecit, ut ad genua ultro sibi accideret. AD IMPERATORIAS laudes.] Quibus cumlatus erat Lucullus: tantus enim imperator fuit, ut Mithridates, rex post Alexandrum maximus, omnibus eum ducibus, de quibus legerat, praetulerit. CICERO in Lucullo. CVM filio principe iuventutis.] C. Curione adolescente primo.



CVM *Rep. coniunctiore etiam, quam ab illa aetate postulandum fuit.*] Cuius causam adversus Caesarem vehementius constantiusque defenderat, quam ab ea aetate expectabant homines. CICERO ad Atticum, *Vnus loquitur, & palam adversatur adolescens Curio. Quae causa fuerat, cur illi per Vectium capitis periculum creare voluerat Caesar, adolescentemque in facinoris alicuius suspicionem adducere.* L. DOMITIVM.] Aenobarbum: cuius Praeturae annus excepit Consulatum Caesaris: qui, quemadmodum iam ante Caesar providerat, atque ideo tollere de civitate voluerat: statim inito magistratu cum C. Memmio de Caesaris actis retulit ad Senatum. IN POSTERVM autem propter omnium spem quae de illo est, atque erat.] Tum de eo spes erat ut Praetor acta Caesaris rescinderet, nunc spes est Consulem facturum, quod Praetor non potuerit. Quod cum & ipse Domitius non dissimularet, sed palam minaretur cum candidatus esset Consulatus, effecturum se Consulem quod Praetor nequivisset, adempturumque se Caesari exercitus, Crassum Pompeiumque in urbem suae provinciae Lucam extractos compulit Caesar, ut detrudendi Domitii causa Consulatum alterum peterent. Testis SVETONIUS in *D. Iulio.* Huc spectant illa verba CICERONIS ad Atticum lib. epist. IIII. epistola 8. cuius initium est, *Multa me in epistola tua delectarunt. De Domitio, inquit, σὺ καὶ τὴν δῆμῳ τὰ σὺν ὄνδῃ ἐν ὄντῳ ὁμοίον γέγονεν quam est ista πολιταίας nostrae; vel quod ab iisdem, vel quod praeter opinionem, vel quod viri boni nusquam. Vnum dissimile, quod huic merito. Nam de ipso casu, nescio an illud melius. Quid enim hoc miserius, quam eum, qui tot annos quot habet DES. COS. fuerit, fieri Consulem non posse, praesertim cum aut solus, aut certe non plus, quam cum altero petat?* FLAMINEM Martialem.] Qui erant DIVISQVE ALIIS SACERDOTES, OMNIBVS PONTIFICES SINGVLIS FLAMINES SVNTO. Flamines autem scribit LIVIVS primum a Numa tres institutos Iovi, Marti, Quirino. Aucta deinde Vrbe ad xv. creverunt. *Flamines, dicebantur; quasi Filamines, quod pileum scilicet gestarent, in quo virgula oleagina modicum lanae habens in summo instar fungi inerat: quem cum per aestum ferre non poterant, caput ligabant filo, quod nudo capite incedere fas non erat.* QVOD ERAT eo tempore Gabini tui competitor.] Quod eo anno Consulatum cum Gabinio summo tuo petebat. Victus tamen a Gabinio est, Gabiniusque cum L. Pisone creatus est Consul: ille Pompeii, hic Caesaris generi favore. ILLAM labem.] Nostri imperii ignominiam, & dedecus. TVO scelere.] Pompeii quidem & Caesaris consiliis, scelere tamen tuo: Sic enim Orator eadem hac Oratione, *Quod si Caesar qui te suae dignitatis augen-*

dae causa periculo tuo, nullo suo scelere ferrè praecipitem est facile passus &c. RESP. VICTA non esset.] Leges perniciosae per vim latae non essent, auspicia non perdidissemus, censoriam notionem retineremus, ego ex Vrbe pulsus non essem. HVIVS etiam Filium.] I. Lentuli filium L. quoque Lentulum vocat epistola ad Q. Fratrem cuius est initium, *Ego ex magnis caloribus. Gabinium, inquit, tres adhuc factiones postulant, L. Lentulus Flamini filius, qui iam de maiestate postulavit. Lentulum autem filium dicebat Vectius in eo consilio fuisse conscio patre.* L. PAVLVM.] L. Aemylium Paulum principem eius consilii Vectius nominarat. Hic est L. Paulus qui cum Caesaris esset adversarius, Consul creatus cum C. Marcello instante iam bello civili, a Caesare pecunia corruptus, pro Caesare loqui coepit. QVI TVM Quaestor Macedoniam obtinebat.] Eo tempore quo consilium, cuius ille princeps nominabatur, initum dicebatur. Mirum autem merito videatur, quo modo ille Quaestor Macedoniam provinciam Consularem obtinere potuerit. Intelligendum itaque est, eos qui cum imperio Provinciis praeerant, si quidem successor tardabat, ipsique de Provincia decedere properarent, ne sine gubernatore relinqueretur Provincia, Quaestores interim solitos relinquere cum potestate: & tum provincias dicebantur Quaestores obtinere. CICERO ad Coelium epistola cuius est initium, *Non potuit accuratius agi. Ego, inquit, de provincia decedens, Quaestorem Coelium praeposui provinciae: puerum inquis, at Quaestorem, at nobilem adolescentem, at omnium fere exemplo, neque erat superiore honore usus quem praeficerem.* Atque aliquot verbis interpositis, *Postremo non tam mea sponte, quam potentissimorum duorum exemplo, qui omnes Cassios Antoniosque complexi sunt, hominem adolescentem non tam allicere volui, quam alienare nolui.* Qua de eadem re ita ad Atticum epist. cuius est initium, *Ego dum in provincia sum. Nos, inquit, provinciae praefecimus Coelium: puerum inquis, & fortasse factuum, & non gravem, & non continentem. Assentior: fieri non potuit aliter. Nam praeter fratrem nemo erat quem sine contumelia Quaestore, nobili praesertim, anteferrem. Pompeius eo robore vir, his radicibus Q. Cassium sine sorte delegit, Caesar Antonium: ego sorte datum offenderem?* DVOS NEFARIOS patriae proditores legibus exterminarat.] P. Antronium, eiusque aliquem in coniuratione secunda socium. P. Antronius COS. designatus cum P. Sylla Consule item DES. poenas legibus ambitus dedit: quae cum civitate damnatos non privarent, non possumus dicere de eo iudicio hic loqui Oratorem. Ambitus damnatos de civitate non tolli testis est CICERO in *Oratione pro P. Sylla, Accepit, inquit, P. Sylla iudices vebemens vulnus, & mortiferum: verumtamen eiusmodi, quod videretur*  
eius



eius vita & natura accipere potuisse: honestatis & dignitatis habuisse nimis magnam iudicatus est cupiditatem. Postea vero quis P. Syllam nisi moerentem, demissum, afflictum vidit? Quis unquam est suspicatus hunc magis odio quam pudore, hominum aspectum lucemque vitare? qui cum multa haberet invitamenta urbis & fori propter summa studia amicorum, quae tamen ei sola in malis restiterunt, abfuit ab oculis vestris: & cum lege retineretur, ipse se exilio pene multavit. De coniuratione Catilinaria accusatos Vargunteium, Servium Syllam, P. Lentulum, M. Leccam, Cornelium, P. Antronium, testis CICERO est in Oratione pro P. Sylla: quem de eodem quoque crimine accusatum a Torquato adolescente, defendit. CICERONIS verba haec sunt, Quis nostrum adfuit Vargunteio? nemo; ne hic quidem Q. Hortensius: praesertim qui illum solus antea de ambitu defendisset; non enim iam se ullo officio cum illo coniunctum arbitratur, cum ille tanto scelere commisso omnium officiorum societatem diremisisset. Quis nostrum Servium Syllam, quis P. Lentulum, quis M. Leccam, quis Cornelium defendendum putavit? quis iis horum adfuit? nemo; quid ita? quia caeteris in causis etiam nocentes, viri boni, si necessarii sunt, non defendendos esse non putant. Quid Antronio? nonne sodales, non collegae sui, non veteres amici, quo-

rum ille quondam copia abundarat, non ii omnes qui sunt in Rep. principes, defuerunt? immo etiam testimonio plerique laeserunt? Ex quo CICERONIS loco illud quoque colligimus, damnatum Antronium & eius socios: in exilium vero missos ex epistolis ad Atticum: in epist. siquidem cuius initium est, Itineris nostri. Et simul, inquit, intelligebant ex eo loco, si te haberem, posse me Brundisium referre: sine te autem non esse nobis illas partes tenendas propter Antronium. Ac rursus epistola, cuius est initium, Brundisium veni. Effet mihi, inquit, ista solitudo, praesertim tam familiari in loco, non amara: sed itineris causa ut divorterem, primum est devium: deinde ab Antronio & caeteris quatruidui. Sequentem item epistola sic scribit, Scripseram ad te, quas ob causas in Epirum non essemus profecti, quod & Achaia prope est, & plena audacissimorum inimicorum, & exitus difficiles haberet, cum inde proficisceremur.

QVOD ME ex fortiss. civium numero segregandum non putaris.] Quid de Cicerone indicavit Vectius, CICERO ipse his verbis ad Atticum scribit, Me, inquit, Vectius non nominavit: sed dixit Consularem disertum vicinum Consuli sibi dixisse, Abalam Servilium aliquem, aut Brutum opus esse reperiri. Descripsit ergo Ciceronem, non nominavit Vectius.

## CAPUT V N D E C I M V M.

Sed qui fuit ille tuus tantus furor, ut, cum iam VECTIVS ad arbitrium tuum perorasset, & civitatis lumina notasset, descendissetque de Rostris, eum repente revocares, colloquerere, populo Romano vidente? deinde interrogares, equosnam alios posset nominare? inculcarisne, ut C. PISONEM, generum meum, nominaret: qui in summa copia optimorum adolescentium, pari continentia, virtute, pietate reliquit neminem? itemque M. LATERENSEM, hominem dies, atque noctes de laude, & de rep. cogitantem? promulgarisne, impurissime, & perditissime hostis, quaestionem de tot amplissimis, & talibus viris, indicii VECTIO praemia amplissima? quibus rebus, omnium mortalium non voluntate, sed convicio repudiatis, fregerisne in carcere cervices ipsi illi VECTIO, nequod indicium corrupti indicii extaret, eiusque sceleris in te ipsum quaestio flagitaretur? Et, quoniam crebro usurpas, legem te de alternis consiliis reiiciendis tulisse, ut omnes intelligant, te ne recte quidem facere sine scelere potuisse, quaero, cum lex esset aequa promulgata initio magistratus, multas etiam alias tulisses, expectarisne, dum C. ANTONIVS reus fieret apud CN. LENTVLVM CLAVDIANVM? & posteaquam ille est reus factus, statim tuleris in eum, qui tuam post legem reus factus esset: ut homo consularis exclusus, miser, puncto temporis spoliaretur beneficio, & aequitate legis tuae? Dices, familiaritatem tibi fuisse cum Q. MAXIMO. Precaria defensio facinoris tui; nam MAXIMI quidem summa laus est, sumtis inimicitiis; suscepta causa, quaesitore, consilioque delecto, commodiorem inimico suo conditionem reiectionis dare noluisse: nihilque MAXIMVS fecit alienum aut sua virtute, aut illis viris clarissimis, PAVLIS, MAXIMIS, AFRIC-



CANIS: quorum gloriam huius virtute renovatam non modo speramus, verum etiam iam videmus; tua fraus, tuum maleficium, tuum scelus illud est, te id, quod promulgasses misericordiae nomine, ad crudelitatis tempus distulisse. Ac nunc C. ANTONIUS hac una re miseriam suam consolatur, quod imagines patris, & fratris sui, fratrisque filiam, non in familia, sed in carcere collocatas audire maluit, quam videre.



VI. FUIT ILLE tantus furor tuus? ] Eo enim facto aperte ostendebas, te Vectium subornasse.

DESCENDISSETQVE de rostris.] Concio dimissa esset. Sic enim ad Atticum scribit. EVM REPENTE revocares.] Revocare dicunt Galli Rappeller. TERENCE in Hecyra,

Num novum aut mirum est revocari, cum cursum aliquo institueris.

Et eodem rursus loco, Revocemus hominem.

INCULCARIS ne.] Etiam atque etiam subieceris. VT C. PISONEM generum meum nominaret.] Ea de re ita CICERO ad Atticum, Addidit ad extremum Vectius, cum iam dimissa concione revocatus a Vatino esset, se audivisse a Curione conscium esse Pisonem generum meum. C. autem Piso Frugi primus maritus fuit Tulliolae Ciceronis filiae, Secundus Crassipes, Tertius Cn. Cornelius Lentulus Dolabella, sub quo ex partu decessit. Pisonis & Dolabellae multis meminit locis CICERO. Crassipedis, cui antequam iret in Ciliciam pater, nupserat Tulliola, in Epist. ad Q. fratrem meminit his verbis, De nostra Tulliola, tui me hercule amantissima, spero nos cum Crassipede confecisse. Dies erant duo, qui post Latinas erant religiosi: caetero qui confectum erat. Latiar erat exiturus. Ad VIII. Id. Apriles sponsalia Crassipedi praebui. Dolabellae nupsit Tulliola cum esset in Cilicia Cicero. Id ex CAELII ad Ciceronem proconsulem literis intelligi potest. In ea namque Epistola, cuius est initium, Non dubito quin perlatum, scriptum sic est: Illud, inquit, mihi occurrit, quod inter postulationem & nominis delationem, uxor a Dolabella discessit. Quid mihi discedens mandaris, memini: quid ego tibi scripserim, te non arbitror oblitum. Non est iam tempus plura narrandi. Vnum illud monere te possum, si res tibi non displicebit, tamen hoc tempore nihil de tua voluntate ostendas, & expectes quemadmodum exeat ex hac causa: denique invidiosum tibi sit, si emanarit. Rursus eadem epistola, De Dolabella integrum tibi reserves suadeo. Ex quibus Ciceronis locis manifesto tenemus, lapsum PLVTARCHVM: qui scribat Tulliolam duos tantum habuisse viros. OPTIMORVM adolescentium.] Senatus studiosorum.

RELIQVIT neminem.] Mortuum eo tempore fuisse indicat C. Pisonem, itemque M. La-

terensem: Vectius Pisonem & Laterensem cum iam dimissa concione revocatus a Vatino esset, nominavit. Hic est M. Iuventius Laterensis e municipio Tusculano, qui a Plancio in aedilitatis petitione superatus fuit.

PROMVLGARIS NE quaestionem de tot amplissimis viris.] Iudicia ne postularis adversus tot amplissimos & tales viros; ea de re ita CICERO ad Atticum, Nunc reus erat apud Crassum Divitem Vectius de vi, & cum esset damnatus erat iudicium postulaturus, quod si impetrasset, iudicia fore videbantur, ea nos (ut pote qui nil contemnere solemus) non pertimescebamus. INDICI VECTIO praemia amplissima.] Indicibus praemia proponi solebant, ut ea ratione ad indicandum allicerentur, quorum ipsi essent confecti. Allobrogibus indicibus in Catilinae coniuratione praemia amplissima data sunt.

SED CONVITIO repudiatis.] Convitium interim verbo fit. CICERO libro 3. in Verrem, Cui nisi ego vi populi, & hominum clamore ac convitio restitissim. Interim se fit: TERENCE in Adelphis, Hic ante aedes non fecisse melius erit convitium. FREGERIS NE in carcere cervicem.] Vectium a Crasso Divite damnatum scribit CICERO ad Atti. EIVSQVE sceleris.] Corrupti indicii. INTE IPSVM quaestio flagitaretur.] In te ipsum, qui in alios quaestionem flagitabas. LEGEM DE ALTERNIS consiliis reiiciendis.] De Consiliis porro alternis nihil me legisse memini, nisi quod in Oratione, pro Plancio scribit CICERO. Sed aliquando, inquit, veniamus ad causam, in qua tu nomine legis Liciniae quae est de Sodalitiis, omnes Ambitus leges complexus es. Neque enim quidquam aliud nisi edititios Iudices es secutus; quod genus iudiciorum si est aequum, nulla in re nisi hac Tribuaria, non intelligo quamobrem Senatus hoc uno in genere Tribus edi voluerit ab accusatore, neque eandem editionem transtulerit in caeteras causas: de ipso denique ambitu reiiciendum fieri voluerit iudicium alternorum. Quo in loco iudicia alterna vocat quae hic consilia alterna. Videter itaque lex Vatinia fuisse, ut etiam in causa Tribuaria alterna iudicia sive consilia reiicere reoliceret; C. Antonius de Sodalitiis quoque iudicatur accusatus. Consilium autem iudicii partem significat: dicimus siquidem consilium accusatoris, & consilium rei. CICERO libro tertio in Verrem, Quos is annuerat, in suum consilium sine causa subsortiebatur.

EXPECTARIS NE dum C. Antonius reus fieret.]



ret.] C. Antonius M. Antonii oratoris filius, Ciceronis in consulatu collega C. Iulio Caesare, M. Bibulo Coss. in iudicium vocatus est. CICERO pro domo sua ad Pontifices, Hora fortasse sexta disi questus sum in iudicio, cum C. Antonium collegam meum defenderem, quaedam de re-pub. quae mihi visa sunt, ad illius miseri causam pertinere; haec homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter atque a me dicta erant, detulerunt; hora nona illo ipso die tu es adoptatus. Clodium autem factum esse plebeium C. Caesare consule, ex Ciceronis locis variis intelligi potest; qua de re autem accusatus sit Antonius, non satis constat: de vi certe a M. Caelio Ciceronis discipulo accusatus est. CICERO pro M. Caelio: Accusavit Caelius C. Antonium collegam meum, cui misero praeclari in Rempub. beneficii memoria nil profuit, nocuit opinio maleficii cogitati. Ac paulo post rursum, Non enim potest qui hominem consularem, quod ab eo Rempub. violatam diceret, in iudicium vocari, ipse in Repub. civis esse turbulentus. Hoc autem loco accusatum dicit a Quinto Fabio Maximo. REUS FIERET.] Postularetur.

ARVD CN. LENTVLVM Claudianum.] Alii libri Cn. Lentulum, Q. Claudium habent, ut nomina sint duorum Praetorum, apud quorum alterum de vi, alterum alterius criminis accusatus fuit Caius Antonius. Praetori enim sua datur quaestio, de qua iudicaret. CICERO pro Cluentio, Legum ministri, magistratus: legum interpretes, iudices: legum denique idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus. Quid est Q. Naso, cur tu in isto loco sedeas? quae vis est qua abs te hi iudices tali dignitate praediti coërceantur? quid ergo est? haec quaestio sola ita gubernatur? quid M. Pletorii & C. Flamini inter sicarios? Quid C. Orcinii peculatus? quid mea de pecuniis repetundis? quid C. Aquilii apud quem nunc de ambitu causa dicitur? quid reliquae quaestiones? Cuiusdam tamen Cn. Lentuli Claudiani meminit GELLIVS libri 18. c. 4. de quo non arbitror CICERONEM nunc loqui. STATIM TVLERIS in eum.] Tanquam in eum legem scripsisses. QVI TVAM post legem reus factus esset.] Verba sunt legis Vatinae, quibus excludatur C. Antonius, ne legis beneficio uti posset, quod post eius legem reus factus esset. HOMO consularis.] Antonius cum Cicerone consul fuit: ut paulo ante dicebamus.

CVM Q. Maximo.] Accusatore Antonii: hic autem Q. Fabius Allobrogici filius fuisse videtur, quem VALERIVS scribit perditae fuisse luxuriae.

SVMPTIS inimicitiis, suscepta causa.] Sumptis inimicitiis cum Antonio, propter Achaeos spoliatos, susceptaque eorum causa. C. Antonius Praetor in Achaia pecuniam magnam contra leges conciliavit, qua de re ita M. CICERO ad Atticum, Nam mihi Pompeiani prodromi nun-

ciant, aperte Pompeium acturum Antonio succedi oportere, eodemque tempore aget Praetor ad populum: res eiusmodi est, ut ego neque per bonorum, nec per popularem existimationem honeste possim hominem defendere: nec mihi libeat, quod vel maximum est; etenim accidit hoc quod totum cuiusmodi sit mandu tibi, ut perspicias, libertum ego habeo sane nequam hominem: Hilarem dico ratiocinatorem & clientem tuum, de eo mihi Valerius interpres nunciat, Chiliusque se audivisse scribit haec, Esse hominem cum Antonio: Antonium porro in cogendis pecuniis dicitare partem mihi quaeri, & a me libertum communis quaestus custodem esse missum. Ac sequente deinde Epistola, Ego enim te arbitror caesis apud Amaltheam victimis, statim esse ad Sitonem oppugnandum profecturum, nec tamen id ipsum certum habeo, quando ad Antonium proficiscare, aut quid in Epeiro temporis ponas, ita neque Achaicis hominibus, neque Epiroticis paulo liberiores literas committere audeo. Quamobrem anno ipso sexto, quo Achaiam spoliavit, motus senatu a Censoribus est, ut scribit ASCONIVS PAEDIANVS, QVAESITORE consilioque delecto.] Quaestior iudicii moderator est, & qui de facto quaerit. Consilium autem pro parte iudicii sumitur hoc in loco, quemadmodum antea sumi posse dicebamus. COMMODIOREM inimico suo contentionem reiectionis.] Commodior contentio reuicendorum iudicum data fuisset C. Antonio, si ei lege Vatina alterna consilia reuicere licuisset. NIHILQVE Maximus fecit alienum a sua virtute, aut illis viris clarissimis Paulis, Maximis, & Africanis.] Temporibus optimis amplissimum pulcherrimumque ducebatur viris clarissimis, si ab hospitibus clientibusque suis, ab exteris nationibus, quae in amicitia populi Romani ditioneque essent, iniurias propulsarent, eorumque fortunas defenderent. M. Cato ille sapiens, gessit, propter Hispanorum, apud quos consul fuerat, iniurias, cum multis graves inimicitias. P. Lentulus, is qui princeps senatus fuit, accusavit M. Aquilium. P. Africanus homo virtute, fortuna, gloria, rebus gestis amplissimus, L. Cottam in iudicium vocavit. Cn. Domitius Decimo Syllano diem dixit, propter unius hominis Egritometri paterni amici iniurias. TVA FRAVS, TVVM MALEFICIVM.] Quid sit fraus, declarat VLPIANVS his verbis, Aliud est fraus, aliud poena: fraus enim sine poena esse potest, poena sine fraude esse non potest; poena est noxae vindicta, fraus & ipsa noxa dicitur, & quasi poena quaedam praeparatio. QVOD IMAGINES patris, & fratris sui fratrisque filiam.] Historia mihi ista tota ignota est; patrem C. Antonii M. Antonium Oratorem fuisse ASCONIVS testatur, cui PLVTARCHVS filium alium quoque dat Antonium cognomento Criticum, patrem M. Antonii triumviri, maritum Iuliae, quae postea nupsit P. Lentulo, cui in carcere



ob Catilinae coniurationem fractae cervices sunt iussu Ciceronis consulis. *NON IN FAMILIA sed in carcere collocatus.*] Damnatorum statuae in carcere ponebantur, quemadmodum ex hoc loco colligimus ad familiae perpetuam ignomi-

niam. *AVDIRE MALVIT quam videre.*] In exilium ire maluit, quam in vinculis mori: exilium siquidem poenae est declinatio: quemadmodum scribit CICERO in *Oratione pro Ciccina.*

## CAPVT DVODECIMVM.

*Et quoniam pecunias aliorum despicias, de tuis divitiis intolerantissime gloriaris, volo uti mihi respondeas, fecerisne foedera Tribunus pleb. cum civitatibus, cum regibus, cum tetrarchis? erogarisne pecunias ex aerario tuis legibus: eripuerisne partes illo tempore clarissimas partim a Caesare, partim a publicanis? Quae cum ita sint, quaero ex te, sisne ex pauperrimo dives factus illo ipso anno, quo lex lata est de pecuniis repetundis acerrima: ut omnes intelligere possent, a te non modo nostra acta, quos tyrannos vocas, sed etiam amicissimi tui legem esse contemtam; apud quem tu etiam nos criminari soles, qui illi sumus amicissimi, cum tu ei contumeliosissime toties maledicas, quoties illi affinem te esse dicis. Atque illud etiam scire ex te cupio, quo consilio, aut qua mente feceris, ut in epulo Q. ARRII, familiaris mei, cum toga pulla accumberes? quem umquam videris? quem audieris? quo exemplo, quo more feceris? Dices, supplicationes te illos non probasse; optime; nullae fuerint supplicationes; videsne; me nihil de anni illius causa, nihil de eo, quod tibi cum summis viris commune esse videatur, sed de tuis propriis sceleribus ex te quaerere? Nulla supplicatio fuerit; cedo, quis umquam coenavit atratus? ita enim illud epulum est funebre, ut munus sit funeris: epulae quidem ipsae dignitatis.*

**H** T QVONIAM pecuniam aliorum.] Pecuniae appellatione rem significari PROCVLVS ait, neque solum numerarata pecunia, sed omnes res tam soliquam mobiles, & tam corpora quam iura, ut HERMOGENIANVS ait, eo nomine contineri; haereditatis nomen iuris est. *FECERIS NE FOEDERA tribunus plebis cum civitatibus.*] Foedera imperii sunt conditiones. CICERO libro septimo in *Verrem*, quem ego quintum facio, *Sustulisti ius imperii, conditionem sociorum, memoriam foederis, qui ex foedere ipso navem vel usque ad Oceanum, si imperavissimus, sumptu periculoque suo armatam atque ornatam mittere debuerunt: bi ne in freto ante sua tecta & domos navigarent, ne sua moenia portusque defenderent pretio abs te ius foederis & imperii conditionem emerunt.* Foedera autem a Feclibus percutiebantur, ut auctor est TITVS LIVIVS libro primo *decadis primae*, scribens de foedere antiquissimo, quod percussit P. R. cum Pop. Albano. CICERO libro septimo in *Verrem*, *At enim idcirco navem Mamertinis non imperasti, quod sunt foederati; dii approbent: habemus hominem in Foecialium manibus educatum, unum praeter caeteros in publicis religionibus foederum diligentem ac sanctum.* Foedera autem

faciebat populus, aut ab imperatore senatue factum confirmabat: alioquin sacrosanctum non erat. Tribunus plebis foedus facere non poterat; civitates autem quibuscum foedera fiebant, liberae erant, hoc est suis legibus utebantur: immunesque a vectigali erant, & si onus aliquod eis erat impositum, veluti nota quaedam servitutis.

*CVM TETRARCHIS.*] *Tetrarchae* sunt, qui in quarta parte regionis alicuius regnant, ut *decadarchae*, qui in decima, unde *tetrarchia* & *decadarchia*. *CVM REGIBVS.*] Regem Alexandrinum intelligit, de quo Caesare consule confectum fuit, quemadmodum scribit CICERO ad *Atticum epist. libro secundo*. *EROGARIS NE pecunias tuis legibus ex aerario.*] Tulerisne, ut Caesari ex aerario pecunia erogare liceret, qua de re ita CICERO ad *Atticum*, *Prosus*, ut scribis, ita sentio, turbatur *Sampsicramus*, nil est quod non timendum sit, ὁμολογημέως τυραννίδα συσκευάζεται: quid enim ista repentina affinitatis coniunctio, quid effusio pecuniae significat? quae si essent extrema, tamen esset nimium mali: sed ea natura rei est, ut haec extrema esse non possint. *ERIPVERIS NE partes illo tempore clarissimas, partim a Caesare, partim a publicanis.*] Vatinius in tribunatu causa Caesaris gratis nihil fecit; sic enim aliquanto post



post Orator, Tum quaeſiſſe quendam de Vatiniſ, quemadmodum ferret, ipſum reſpondiſſe Vatiniſ, in tribunatu gratis nil feciſſe, qui omnia in pecunia poſuiſſet, honore aequo animo carere debere. Magnam itaque a Caefare pecuniam Vatiniſ eripuit, ut eius actiſones iuaret: a publicanis vero pecuniam eripuit, ut remiſſionem petentes iuaret; ſiquidem ſcribit SVETONIVS, Caefarem publicanos remiſſionem petentes, tertia mercedem parte relevaſſe, ac ne in locatiſone novorum vectigaliſum immoderatiſus licitarentur propalam monuiſſe; qua de re ita quoque CICERO ad Atticum ſcribit, Cn. quidem noſter quid cogitet, neſcio: qui quidem etiam iſtuc adduſi potuerit, nam adhuc hoc iſoφιζετο. Si leges Caefaris probaret, actiſones ipſum praeflare non debere, agrariam legem ſibi placuiſſe, potuerit intercedi nec ne, nihil ad ſe pertinere: de rege Alexandrino placuiſſe, ſibi aliquando confici. Bibulus de coelo tunc ſervaiſſet, nec ne, ſibi quaerendum non fuiſſe: de publicanis voluiſſe illi ordini commodare. Quid autem ſit petere publicanos remiſſionem, explicat CICERO Epifſtola ad Atticum, cuius initium eſt, Magna mihi varietas voluntatis, Aliae, inquit, delitiſae equitum vix ferendae, quas ego non ſolum tuli, ſed etiam ornavi. Aſiani qui de Cenſoribus conduxerunt, queſti ſunt in ſenatu, ſe cupiditate prolapſos, nimium magno conduxiſſe, ut induceretur locatio poſtulaverunt. Quae cum ita ſint, locum hunc corruptum eſſe exiſtimo, atque ubi ſcriptum eſt PARTES, ſcribendum eſſe PER ARTES; at quoniam artes chariſſimae non dicuntur, ut neque partes, ſcriptum fuiſſe putem clariſſimas, & ſi uſitatiſus eſt notiſſimas. Quid agam, AEMILI, partes chariſſimas dici non puto, neque vero valde placet, artes clariſſimas. Sed multo tamen hoc melius, niſi tu aliud viſ. QVO LEX LATA eſt de pecuniis repetundis accerrime? Legem de pecuniis repetundis, qua ſenatores tantum tenebantur, primum lata eſt a Lucio Calſurnio Piſone Frugi Tribuno plebis, ut autor CICERO eſt libro tercio in Verrem, & in Bruto: lata deinde eſt a C. Servilio Glaucia, ut author eſt CICERO pro Rabirio Poſthumo: lata deinde a L. Sylla, ut teſtis CICERO eſt in eadem Oratione, pro Poſthumo: lata item eſt a M. Aquilio Glabrione, ut ſcribit CICERO, ſecunda oratione in Verrem, qua M. Glabrio comperendinatum reo tollebat; lata poſtremo eſt a C. Iulio Caefare, in primo conſulatu, in qua multa ſeverius ſcripta quam in legibus ſuperioribus fuiſſe memorantur. CICERO in Oratione pro Poſthumo, Iubet lex Iulia perſequi ab his ad quos ea pecunia, quam is ceperit qui damnatus ſit, pervenerit. Si eſt hoc novum in lege Iulia, ſicuti multa ſunt ſeverius ſcripta, quam in antiquis legibus, & ſanctius iudicata &c. Quae autem ſint capita legis Iuliae, in veſtris Digefſtorum libris abunde ſcriptum eſt, quem totum locum

huc transferrem, niſi ad te ſcriberem. NON MODO acta noſtra.] Legem noſtram de Ambitu: de qua paulo poſt plura dicit Orator. Leges autem cuiusque in eius actis ſunt. CICERO Philippica prima, Quanquam ea quoque ſit effuſa, ſi in actis eius fuit; ecquid eſt, quod tam proprie dici poſſit actum eius, qui togatus in Repub. cum poteſtate imperioque verſatus ſit, quam lex? quaere acta Gracchi? leges Semproniae proferentur: quaere Syllae? Corneliae; quid? Cn. Pompeii tertius conſulatus, quibus in actis conſiſtit? nempe in Legibus; a Caefare ipſo ſi quaereres quid nam egiſſet in urbe, & toga, leges multas reſponderet ſe & praeclaras tuliſſe. SED ETIAM amiciſſimi tui.] Quemadmodum tu gloriariſ: argumentum autem eſt a repugnantibus, eius legem contemnere, cui amiciſſimus ſit. QVOTIES illi te affinem eſſe dicis.] De affinitate Vatiniſ & Caefaris nihil me legiſſe memini. Affines porro, ut ſcribit MODESTINVS, ſunt viri & uxoris cognati: dicti ab eo quod duae cognationes, quae diverſae inter ſe ſunt, per nuptias copulantur, & ad alterius cognationis finem accedunt. QVO CONSILIO aut qua mente feceris.] Maius eſt mente carere, quam conſilio. IN EPVLO Q. Arii.] Quod populo in funere patris Q. Arius dabat. QVEM videris.] Noſtra memoria.

QVEM adiuveris.] Ex ſuperiore memoria. QVO exemplo. Quo more.] Maius eſt more aliquid facere, quam exemplo: exemplum enim eſſe poteſt unius factum. DICES SUPPLICATIONES te illas non probaſſe.] Non intelligo de quibus ſupplicationibus loquatur, an de ſupplicationibus mortuo Ario decretis, an alteri alicui; mortuo ſupplicationes decerni, fas non erat. CICERO Philippica prima, An me cenſetis P. C. quod vos inviti ſecuti eſtis, decreturum fuiſſe, ut parentalia cum ſupplicationibus miſcerentur, ut inexpiabiles religiones in Rempub. inducerentur, ut decernerentur ſupplicationes mortuorum? Nil dico, quis fuerit L. ille Brutus, qui & ipſe regio dominatu Rempub. liberavit, & ad ſimilem virtutem, & ſimile factum ſtirpem in prope quingentimum annum propagavit: adduci tamen non poſſum, ut quemquam mortuum coniungerem cum deorum immortalium religione. Veruntamen veriſimile non ſit Q. Ario mortuo decretas fuiſſe ſupplicationes, niſi forte re eius auspiciis feliciter geſta, ubi ipſe mortuus eſſet. NULLAE FVERINT ſupplicationes.] Decerni non potuerint; nullum enim id eſt, quod iure fieri non potuit. VIDES NE me nil de anni illius cauſa.] De actis Caefaris.

VT MVNVS ſit funeris.] Munus proprie eſt quod neceſſario ſubimus lege, more, imperio ve eius qui iubendi habet poteſtatem: dona autem proprie ſunt, quae nulla neceſſitate, iure, aut officio, ſed ſponte praefantur: quae ſi non praefantur, nulla reprehenſio eſt: eſi praefantur,



plerunque laus quaedam est; sed in summa in hoc ventum est, non quodcumque munus idem donum accipiatur, at quod donum fuerit, id munus di-

catur. Verba MARTIANI tui sunt ff. de verborum significatione; sed quid erat opus vel autorem citare, vel locum tibi indicare?

## CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Sed omitto epulum populi Romani festum diem, argento, veste, omni apparatu, ornatuque visendo; quis unquam in luctu domestico, quis in funere familiari coenavit cum toga pulla? cui de balneis exeunti, praeter te, toga pulla unquam data est? cum tot hominum millia accumberent, cum ipse epuli dominus, Q. ARRIVS, albatus esset, tu in templum Castoris te cum C. FIDVLO atrato, ceterisque tuis Puriis funestum intulisti. Quis tum non ingemuit? quis non doluit reip. casum? quis sermo alius in illo epulo fuit, nisi, hanc tantam, & tam gravem civitatem, subiectam esse non modo furori, verum etiam, irrisioni tuae? Hunc tu morem ignorabas? numquam epulum videras; numquam puer aut adolescens inter coquos fueras? FAVSTI, adolescentis nobilissimi, paullo ante ex epulo magnificentissimo famem illam veterem tuam non expleras? quem accumbere atratum videras, dominum cum toga pulla, & eius amicos ante convivium? quae te tanta tenuit amentia, ut tu, nisi id fecisses, quod fas non fuit, nisi violasses templum Castoris, nomen epuli, oculos civium, morem veterem, eius, qui te invitavit, auctoritatem, parum putares testificatum esse, supplicationes te illas non putare? Quaero illud etiam ex te, quod privatus admisisti: in quo certe iam tibi dicere non licebit, cum clarissimis viris causam tuam esse coniunctam: postulatusne sis lege LICINIA & IULIA? edixeritne C. MEMMIUS praetor ex ea lege, ut adesses die tricesimo? cum is dies venisset, fecerisne, quod in hac repub. non modo factum ante numquam est, sed in omni memoria sit omnino inauditum? appellarisne Tribunos plebis, ne causam diceres? levius dixi: quamquam id ipsum esset & novum, & non ferendum: sed appellarisne nominatim pestem illius anni, Furiam patriae, tempestatem reip. CLODIVM? qui tamen cum iure, cum more, cum potestate iudicium impedire non posset, rediit ad illam vim, & furorem suum, ducemque se militibus tuis praebuit.

**P**OPVLI ROMANI festum diem.] Qui dies festi sint his verbis declarat MACROBIUS, Numa, ut in menses annos, ita in dies mensem quaque distribuit: diesque omnes aut festos, aut profestos, aut intercisos, vocavit. Festi diis dicati sunt: profesti hominibus ob administrandam rem privatam, publicamque concessit: intercisi deorum, hominumque communes sunt. Festis insunt sacrificia, epulae, ludi, feriae: profestis fasti, committiales, comperendini, stati, praeliaries. Intercisi in se non in alia dividuntur, illorum enim dierum quibusdam horis fas est, quibusdam fas non est ius dicere. Haec MACROBIUS.

IN FUNERE familiari.] Funus familiare est, cum de familia aliqua efferimus. FAVSTI ADOLESCENTIS nobilissimi paulo ante ex epulo.] Quod populo dederat in honorem Syllae patris mortui.

FAMEM ILLAM veterem tuam non expleras.] In Fausti epulo non fueras. Obicit Vatinius egestatem, qua olim laboraverat. DOMINVM cum toga pulla & eius amicos ante convivium? Neminem inquit videras atratum accumbere, etsi dominum epuli, & eius amicos antequam accumberent, atratos vidisti. Quare locus corruptus est, itaque restituendus: dominum cum toga pulla & eius amicos ante convivium videras. NOMEN epuli.] Epulum nomen est laetitiae, & magnificentiae. Si ergo se funestum in epulum intulit, violavit nomen epuli. QVOD PRIVATVS admisisti.] Functus iam tribunatu. POSTVLATVS ne sis lege Licinia & Iulia.] Locum esse arbitror corruptum: legendumque Licinia, & Iunia, sic enim pro Sestio de Vatinius: Quem non tam admiror, quod meam legem contemnat hominis inimici, quam quod statuit omnino Consularem legem nullam putare. Aeliam, Didiam, Liciniam, Iuniam, contempsit. Legis huius



huius Liciniae & Iuniae meminit quoque CICERO ad Atticum, scribens (ut mihi videtur de re eadem.) Et minore, inquit, sonitu quam putarem, orbis hic in Repub. est conversus: citius omnino quam potuit, id culpa Catonis: sed rursus improbitate istorum, qui auspicia, qui Aeliam legem, qui Iuniam & Liciniam qui Caeciliam & Didiam neglexerunt: qui omnia Reipub. remedia effuderunt, qui regna, qui praedia, Tetrarchias, qui immanes pecunias paucis dederunt. Ac rursus Epistola, cuius est initium, Occupationum mearum, Nunc ad ea quae quaeris de C. Catone, lege Iunia, & Licinia scis esse absolutum. Ex quibus locis colligas Iunia, hic non Iulia esse legendum. Quae porro fuerit vis huius legis Liciniae & Iuniae non memini me legisse: de lege Iunia prorsus nihil legi. Liciniae leges variae fuerunt. Licinia quaedam fuit lex, cuius meminit CICERO in Rullum a Licinio Crasso lata, eadem sententia qua Ebutia, quae non modo eum qui tulerat de aliqua curatione, ac potestate, sed etiam collegas eius, cognatos, affines excipiebat, ne eis ea potestas, curatio ve mandaretur: cuius item meminit in Oratione pro domo sua ad Pontifices, hic verbis, Praeter quam quod ne id quidem per legem Liciniam, ut ipse

tibi curationem ferres, facere potuisti. Liciniae alterius legis meminit CICERO pro L. Cornelio Balbo, his verbis, Itaque cum paucis annis post hanc civitatis donationem accerrima de civitate quaestio Licinia & Mutia lege venisset, Cuius meminit praeterea ASCONIVS in Orationem pro Cornelio maiestatis reo, his verbis, P. Licinium Crassum oratorem, & Q. Mutium Scaevolam Pontificem Maximum, eundemque & oratorem, & iuris consultum significat. Hi enim legem eam de qua loquitur, de regendis in sua civitate sociis, in Consulatu tulerunt, cum summa cupiditate civitatis Romanae Italici populi tenerentur. Lex alia Licinia fuit, de quingentis iugeribus: cuius LIVIVS meminit, his verbis, Quid legem Liciniam excitavit de quingentis iugeribus, nisi ingens cupido agros continuandi? Alia quoque fuit lex Licinia, cuius meminit quoque LIVIVS Decadis primae libro septimo his verbis, Extremo anno comitia Consularia certamen patrum ac plebis diremit, Tribunis negantibus passuros comitia haberi, ni secundum legem Liciniam haberentur: Dictatore obstinato tollere potius totum consulatum e Repub. quam promiscuum patribus & plebi facere.

## CAPVT DECIMVM QVARTVM.

In quo, ne quid a me dictum in te potius putes, quam abs te esse quaesitum; nullum onus imponam tibi testimonii: quae mihi brevi tempore ex eodem isto loco video esse dicenda, servabo, teque non arguam, sed, ut in caeteris rebus feci, rogabo. Quaero ex te, VATINI, num quis in hac civitate post Urbem conditam Tribunos pleb. appellavit, ne causam diceret? num quis reus in tribunal sui quaesitoris ascenderit, eumque vi deturbarit? subsellia dissipavit? urnas deleverit? eas denique omnes res in iudicio disturbando commiserit, quarum rerum causa iudicia sunt constituta? sciasne tum fugisse MEMMIUM? accusatores esse tuos de tuis, tuorumque manibus ereptos? iudices quaestionum de proximis tribunalibus esse depulsos? in foro, luce, inspectante populo Romano quaestionem, magistratus, morem maiorum, leges, iudices, scelerum poenam esse sublatam? haec omnia sciasne diligentia C. MEMMII publicis tabulis esse notata, atque testata? Atque illud etiam quaero, quod, postea quam es postulatus, ex legatione redieris, ne quis te iudicia defugere arbitraretur: teque, cum tibi, utrum velles, liceret, delictaris causam dicere maluisse: qui consentaneum fuerit, cum legationis perfugio uti noluisse, appellatione improbissima te ad auxilium nefarium confugisse.

**M**EMMIUS Praetor.] Hic fuit C. Memmius, qui cum L. Domitio collega de actis Caesaris, ad Senatum retulit, ut author est SVETONIVS, EX EA LEGE ut adesses die tricesimo.] Adesse est ad respondendum venire. CICERO libro tertio in Verrem, Neminem vestrum ignorare arbitror iu-

dices, hunc per hosce dies sermonem vulgi, atque hanc opinionem populi Romani fuisse, C. Verrem altera actione responsurum non fuisse, neque ad iudicium affuturum. Ex ea autem lege dixit, quoniam aliae leges breviorum dabant diem ad respondendum. Lex enim Lucretia, qua Coelius postulatus est, decimo die adesse iubebat. CICERO Epistola ad Q. Fratrem, cuius est initium, Risi nivem atram, Cognosce, inquit, nunc Idus.



*Idus. Decimus erat Coelio dies. Domitius iudices ad numerum non habuit. NULLVM onus imponam mihi testimonii.]* Non arguam te, sed ut in caeteris rebus feci, rogabo. *QVAE MIHI brevi tempore ex eodem isto loco.]* Minatur Vatinio accusationem. *SVBSELLIA dissiparit.]* Iudices maiorum iudiciorum in subselliis sedebant. *CICERO in Bruto, Quare si anguste & exiliter dicere est Atticorum, sint sane Attici: sed in comitium veniant, ad stantem iudicem dicant, subsellia grandiore & pleniore vocem desiderant. Idem in Divinatione, Veruntamen L. Apuleium esse video proximum subscriptorem, hominem non aetate, sed usu forensi, atque exercitatione tyronem: deinde ut opinor habet Alienum, hunc tamen a subselliis, qui quid in dicendo possit, numquam satis attendi. VRNAS deleverit.]* In quas iudices coniciebant tabellas. Evertere urnas probrum est. *QVARVM rerum causa iudicia sunt constituta.]* De quibus omnibus rebus quaestiones legibus sunt constitutae. *ACCVSATORES esse tuos.]* In accusatoribus subscriptores numerat, alioquin unus est in una causa accusator. *IVDICES quaestionum de proximis tribunalibus esse depulsos.]* Tribunalia omnia in foro erant, quemadmodum antea dicebamus, atque ita inter se vicina, ut continuari potuerint. *MAGISTRATVS.]* Praetores intelligit. *LEGES.]* Quibus iudicia publica

dantur; nam quemadmodum in privatis iudiciis formula actionis certa est, ita in publicis certa lex. *IVDICES.]* Qui in consilio praetori adfunt.

*POENAM esse sublatam.]* Poena publicorum iudiciorum, aut capitalis erat, aut nominis & pecuniae. Quae autem poena capitalis sit, *MODESTINVS lib. Regularum octavo* his verbis declarat, *Licet, inquit, capitalis Latine loquentibus, omnis causa existimationis videatur, poenae tamen appellatio capitalis, mortis, vel amissionis civitatis intelligenda est. PUBLICIS tabulis.]* Quae populi Romani sunt, proprie publica dicuntur. *VLPIANVS lib. x. ad Edictum, Bona civitatis abusive publica dicta sunt: sola enim ea publica sunt, quae Populi Romani sunt. EX LEGATIONE redieris.]* De hac Vatinii legatione, ita *CICERO ad Atticum Episto.* cuius est initium, *De Geographia etiam. Hercule, inquit, verum ut loquamur, subcontumeliose tractatur noster Publius. Primum qui cum in domo Caesaris quondam unus vir fuerit, nunc ne in xx. quidem esse potuerit. Deinde alia legatio dicta erat, alia data est: illa opima ad exigendas pecunias, Druso ut opinor, Pisaurensis nebuloni Vatinio reservatur: haec ieiuna tabellarii Legatio datur ei, cuius tribunatus ad istorum tempora reservatur.*

## CAPVT DECIMVM QVINTVM.

*Et quoniam legationis tuae facta mentio est, volo etiam audire de te, quo tandem S. C. legatus sis? de gestu intelligo quid respondeas: tua lege, dicis. Esne igitur patriae certissimus parricida? sperarasne id, ut patres conscripti ex repub. funditus tollerentur? ne hoc quidem senatui relinquebas, quod nemo umquam ademit, ut legati ex eius ordinis auctoritate legarentur? adeone tibi sordidum consilium publicum visum est? adeo afflictus senatus, adeo misera & prostrata respub. ut non nuntios pacis ac belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilii auctores, non ministros muneris provincialis senatus more maiorum deligere posset? Eripueras senatui provinciae decernendae potestatem, imperatoris deligendi iudicium, aerarii dispensationem: quae numquam sibi populus Romanus appetivit, qui numquam haec a summi consilii gubernatione auferre conatus est. Age: factum est horum aliquid in aliis: raro: sed tamen factum est, ut populus deligeret imperatorem. Quis legatos umquam audivit sine senatusconsulto? ante te nemo; post continuo fecit idem in duobus prodigiis reip. CLODIVS: quo etiam maiore es malo maclandus, quod non solum facto tuo, sed etiam exemplo rempub. vulnerasti: neque tantum es improbus ipse, sed etiam alios docere voluisti. Atque illud etiam audire a te cupio: quare, cum ego legem de ambitu ex S. C. tulerim, sine vi tulerim, salvis auspiciis tulerim, salva lege AELIA & FVSIA, tu eam esse legem non putes: praesertim cum ego legibus tuis, quoquo modo latae sint, paream. Cum mea lex dilucide vetet, BIENNIO, QVO QVIS PETAT, PETITVRVSVE SIT, GLADIATORES DARE, NISI EX TESTAMENTO*

PRAE-



*PRAESTITUTA DIE: quae tanta in te sit amentia, ut in ipsa petitione gladiatores audeas dare? num quem putes illius tui certissimi gladiatoris similem Tribunum pleb. posse reperiri, qui se interponat, quo minus reus mea lege fias? Ob hacce omnes res, sciasne te severissimorum hominum, Sabinorum, fortissimorum virorum, Marforum & Pelignorum, tribulium tuorum iudicio notatum, nec post Romam conditam, praeter te, tribulem quemquam, tribum Sergiam perdidisse?*



**I**VA LEGE dices.] *Legis Vatiniae iam antea meminimus: ea Caesari permittebatur Campanum agrum dividere.*

**C**ONSILIVM publicum.] *Civitatis. Senatum autem describit.*

**EX** EIVS ordinis auctoritate.] *Ex Senatus consulto. Senatusconsultis omnibus, cum scribebantur, hoc praefigi solebat, SENATVS AVCTORITAS. Vide Epist. CAELII ad Cicero- nem, cuius est initium, Etsi de republica. NON CVRATORES.] Quibus curatio aliqua extra urbem dabatur, ii quoque Legati vocabantur. CICERO ad Atticum lib. xv. iii, inquit, Nonis vesperi a Balbo redditae mihi litterae fuere. Nonis Senatum, ut Brutus in Asia Cassius in Sicilia frumentum emendum, & ad urbem mittendum curarent. O rem miseram, primum ullam ab istis, dein si aliquam, hanc Legatariam provinciam. NON interpretes.] Voluntatis Populi Romani. NON BELLICI consilii autores.] Consilium Imperatorum constabat ex Legatis.*

**PROVINCIAE decernendi.]** *Alii libri Decernendae. Ego nihil immuto. TERENCE in Heautont. prologo,*

*Facite aequi sitis, date crescendi copiam, -  
Novarum qui spectandi faciunt copiam.*

*Quod autem dicit eripuisse Vatinius Senatus provinciae decernendae potestatem, eo spectat quod scribit SVETONIVS, Lege Vatinia decretam fuisse Caesari Galliam alteram, provinciam consularem, cum Illirico: cum tamen lege Sempronia provinciae consulares a Senatu decerni deberent. CICERO ad pontifices pro domo sua, Quid homini teterrimo L. Pisoni nonne nominatim populos liberos multis Senatusconsultis, etiam recente lege generi ipsius liberatos, victos constrictosque tradidisti? Nonne cum ab eo merces tui beneficii, preciumque provinciae, meo sanguine tibi esset persolutum, tamen aerarium cum eo partitus es? Itane vero? tu provincias Consulares, quas C. Gracchus, qui unus maxime popularis fuit, non modo non abstulit ab Senatu, sed etiam ut necesse esset, quotannis per Senatum constitui lege decreta sanxit, eas lege Sempronia, per Senatum decretas rescidisti? extra ordinem, sine sorte nominatim dedisti, non consulibus, sed Reipublice pestibus? Idem in oratione de provinciis Consularibus, Quatuor sunt provinciae P. C. de quibus adhuc intelligo sententias esse dictas,*

*Galliae duae, & Syria, & Macedonia. Decernendae nobis sunt lege Sempronia duae. IMPERATORIS deligendi.] Senatus deligit Imperatorem, creat populus POST continuo.] Anno proximo sequente.*

**FECIT** IDEM in duobus prodigiis Reip. *Clodius.] P. Clodius de Pisonem tulit, ut ei liceret sibi legare quos vellet. CICERO in Orat. pro Sestio, Pisonem alloquens, Pro te ipso quis vestem mutavit? ne illi quidem, quos legatos non modo nullo S. C sed etiam repugnante Senatu tibi tute legasti.*

**IMPROBUS.]** *Improbis interim sceleratum, quemadmodum hoc in loco, interim minus idoneum, sed id cum addito, significat. TERENCE in Andria, Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbrum, Ipsum animum aegrotum ad deteriore partem plerunque applicat. EX. S. C. tulerim.] Legibus, quas patricii magistratus ferre volebant, Senatus auctoritatem accedere necesse erat. BIENNIO quo quis petat petitusve sit.] Vel petierit, vel petere cogitabit. NISI ex testamento praestituta die.] Ultimae voluntatis semper habetur ratio. IN ipsa petitione.] Praeturae: aedilitatis enim iam tulerat repulsam. GLADIATORES audeas dare.] Quos cum daret, lapidatus a populo est, quemadmodum initio commentarii huius dicebamus. De iis Vatinii gladiatoribus. CICERO pro Sestio, Acta mea illi displicere quis nescit? qui legem eam contemnat, quae dilucide vetat gladiatores biennio, quo quis petierit, aut petiturus sit, dare. In quo eius temeritatem satis mirari, iudices, non queo: facit enim apertissime contra legem: facit is, qui neque elabi e iudicio iucunditate ipsa possit, neque opibus & potentia leges ac iudicia perfringere. Sed habet defensiones duas: primum, Do, inquit, bestiarios: lex est scripta de gladiatoribus; festive, accipite aliquid etiam acutius. Dicet se non gladiatores, sed unum gladiatorem dare; & totam aedilitatem in munus hoc contulisse. Praeclara aedilitas, unns leo, ducenti bestiarii. CERTISSIMI gladiatoris.] Certus gladiator cuius manus non aberrat in infligendo vulnere. POST Romam conditam.] Vtrumque dicimus, & post Urbem conditam, & post Romam conditam. Non-nihil tamen interest, cum Romam & urbem dicis. PAVLVS lib. primo ad edict. Urbis appellatio muris: Romae autem, continentibus aedificiis finitur: quod latius patet. MARCELLVS lib. v. Digestorum ex ALPHENI opinione, Urbs,*



inquit, est Roma, quae muro cingitur: Roma est etiam, quantum continentia aedificia sunt.

TRIBVM Sergiam perdidisse.] Non tulisse in petitione aedilitatis. CICERO pro Sestio de

Vatinio loquens; Aedilitatem petivit cum bonis viris, & hominibus primis, sed non praestantissimis opibus & gratia: Tribum suam non tulit.

## CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Ac si haec omnia contemnis, ac despicias, quod ita tibi persuaseris, ut palam dictitas, te diis, hominibusque invitis, amore in te incredibili quodam C. CAESARIS, omnia, quae velis, consecuturum: ecquid audieris, ecquisnam tibi dixerit, C. CAESAREM nuper Aquileiae, cum de quibusdam esset mentio facta, dixisse, C. ALFIVM praeteritum permolesto tulisse, quod in homine summam fidem probitatemque cognosset: graviterque etiam se ferre, Praetorem aliquem esse factum, qui a suis rationibus dissensisset? tum quaesisse quendam, de VATINIO quemadmodum ferret, ipsum respondisse, VATINIVM in tribunatu gratis nihil fecisse? qui omnia in pecunia posuisset, honore animo aequo carere debere? Quod si ipse, qui te suae dignitatis augendae causa, periculo tuo, nullo suo delicto ferri praecipitem est facile passus, tamen te omni honore indignissimum iudicat: si te vicini, si affines, si tribules ita oderunt, ut repulsam tuam, triumphum suum duxerint: si nemo adspicit, quid ingemiscat, nemo mentionem facit, quin execretur: si vitant, fugiunt, audire de te nolunt: cum viderunt, tanquam auspicium malum detestantur: si cognati respuunt, tribules execrantur, vicini metuunt, affines erubescunt; strumae denique ab ore improbo demigrarunt, & aliis iam se locis collocarunt: si es odium publicum populi, senatus universorum hominum rusticorum; quid est, quamobrem praeturam potius exoptes, quam mortem? praesertim cum popularem te velis esse, neque ulla in re populo gratius facere possis? Sed ut aliquando audiamus, quam copiose mihi ad rogata respondeas, concludam iam interrogationem meam, teque in extremo pauca de ipsa causa rogabo.

**D**E VATINIO quemadmodum ferret.] In petitione aedilitatis praeterito. OMNI honore.] Primus honorum maiorum gradus erat aedilitas: quo qui indignus iudicatur, omni honore indignus iudicatur.

UNIVERSORVM hominum rusticorum.] In Tribubus urbanis fex populi erat: in rusticanis, flos ipse civitatis. PRAETVRAM exoptes.] In qua opera Pompeii praelatus M. Catoni est, ut PLVTARCHVS scribit.

## CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Quaero, quae tanta in te vanitas, tanta levitas fuerit, ut in hoc iudicio T. ANNIVM iisdem verbis laudares, quibus eum laudare & boni viri, & boni cives consueverunt, cum in eundem nuper ab eadem illa teterrima Furia productus ad populum, cupidissime falsum testimonium dixeris? An erit haec optio, & potestas tua, ut, cum Clodianas operas, & facinorosorum hominum, & perditorum manum videris, MILONEM dicas, id quod in concione dixisti, gladiatoribus, & bestiariis obsedisse rempub. cum autem ad tales viros veneris, non audeas civem singulari virtute, fide, constantia vituperare? Sed, cum T. ANNIVM tantopere laudes, & clarissimo viro nonnullam laudatione tua labeculam adspargas (in illorum enim numero mavult T. ANNIVS esse, qui a te vituperantur) verum etiam quaero, cum in rep. administranda T. ANNIO cum P. SESTIO

con-



consiliorum omnium societas fuerit (id quod non solum bonorum, verum etiam improborum iudicio declaratum est: est enim reus uterque ob eandem causam, & eodem crimine: alter die dicta ab eo, quem tu unum improbiorem esse, quam te, numquam soles confiteri: alter tuis consiliis, illo tamen adiuvante) quaero, qui possis eos, quos crimine coniungis, testimonio disiungere. Extremum illud est, quod mihi abs te responderi velim: cum multa in ALBINOVANVM de praevariatione diceres, dixerisne, nec tibi placuisse, nec oportuisse SESTIVM de vi reum fieri? quavis lege, quovis crimine accusandum potius fuisse? etiam illud dixeris, causam MILONIS, fortissimi viri, coniunctam cum hoc existimari? quae pro me a SESTIO facta sint, bonis esse grata? Non coarguo inconstantiam orationis, ac testimonii tui. Quas enim huius actiones probatas bonis esse dicis, in eas pluribus verbis testimonium dixisti: quicum autem eius causam, periculumque coniungis, eum summis laudibus extulisti. Sed hoc quaero, num P. SESTIVM, qua lege accusandum omnino fuisse negas, ea lege condemnari putes oportere? aut, si te in testimonio consuli nolis, ne quid tibi auctoritatis a me tributum esse videatur, dixerisne in eum testimonium de vi, quem negaris reum omnino de vi fieri debuisse?



**D**E IPSA causa.] Sestii. Hinc apparet, orationem hanc partem esse orationis Sestianae. AB EADEM illa teterrima furia.] AP. Clodio, cuius consilio Sestium nunc oppugnans, quemadmodum nuper Milonem. GLADIATORIBVS & bestiariis remp. obsedisse.] Quod diserte lex Lucretia vetat. OB eandem causam.] Propter me. EODEM crimine.] De vi. Quae autem haec fuerit lex de vi & quae eius sententia declarat CICERO in oratione pro Marco Caelio, his verbis, Idem cum audiat esse legem, quae de seditiosis consceleratisque civibus, qui armati senatum obsederint, magistratibus vim attulerint, Remp. oppugnaverint, quotidie quaeri iubeat, legem non improbet, crimen quod versetur in iudicio requirat. Rursus eadem oratione, Dicta est a me causa, iudices, & perorata: iam intelligitis quantum iudicium sustineatis, quanta res sit commissa vobis. De vi quaeritis: quam legem Q. Catulus armata dissensione civium Reip. pene extremis temporibus tulit:

quaeque lex sedata illa flamma consulatus mei firmantis reliquias coniurationis extinxit. DE praevariatione.] VLPPIANVS lib. 1. de Adult. Praevaricatores, inquit, eos appellamus, qui causam adversariis suis donant, & ex parte actoris in partem rei concedant, a varicando enim praevaricatores dicti sunt. PLINIUS, Arator nisi incurvus praevariatur: unde in forum translatum hoc quoque crimen est. QVAE pro me a Sestio facta sunt.] Sestius pro Cicerone ad Caesarem in Galliam iter suscepit, & posteaquam tribunatum iniiit, nunquam quievit nisi lege de Ciceronis reditu lata. CICERO pro Sestio, Hoc interim tempore P. Sestius iam designatus iter ad Caesarem pro mea salute suscepit, pertinere & ad concordiam civium putavit, & perficiendi facultatem animum Caesaris a causa non abhorreere. Idem in orat. post reditum in senatu, Quam rationem pari virtute, animo, fide, P. Sestius secutus pro mea salute, pro vestra autoritate, pro statu civitatis nullas sibi inimicitias, nullam vim, nullos impetus, nullum vitae discrimen vitandum unquam putarit.

Haec, AEMYLI FERRETTE, in Vatiniianam interrogationem commentabamur. Ad te autem scribuntur cum ob eas causas, quas initio posui: tum vero, ut quae huius generis tua apud me sunt, tibi reddam atque restituum. Iterum vale, & me, ut facis, ama.







**ANTONII GOVEANI**

**IN**

*PRIMOS DVOS LIBROS EPISTOLARVM*

**M. TVLLII CICERONIS**

**AD**

**T. POMPONIVM ATTICVM**

*COMMENTARIVS,*

**AD**

**IOANNEM BELLAIVM LANGEVM,**

*ROMANAE ECCLESIAE PRESBYTERVM*

*CARDINALEM.*



IOANNI BELLAIO LANGEO  
ROMANAE ECCLESIAE CARDINALI,  
ET PARISIENSI EPISCOPO

ANTONIUS GOVEANVS S.

**H**OMINES novi in patrono deligendo, Reverendissime Cardinalis, duo illa spectare imprimis solent, & a quo iuvvari plurimum possint, & quem id facturum lubenter spes sit: quare ad eos se fere applicant, quorum & humanitas summa est, & opes amplissimae. Quae si in te mihi patrono adoptando sequi duntaxat videar, nemo scio reprehendant aut consilium, aut iudicium de te meum. Nunc cum GUILLELMI fratris tui viri clarissimi (in vitis vulnus hoc tuum attingo) cliens fuerim, neque ego possum ex alia familia novos mihi quaerere patronos, neque tu fraternas necessitudines non tueri, perinde ac tuas: eas praesertim quas ille cum literatis hominibus sanctissime & officiosissime coluit: quibus tu, qui fratri amantissimo superesse neque speraris unquam, neque vero optaris, praesidio a Dis immortalibus relictus in Gallia videris: qui & ipse in literis, quae vix in te laudando locum habent, ita excellis, ut in regno tam erudito paucos hodie pares superiorem omnino habeas neminem. Dignum igitur singulari tua humanitate feceris, Cardinalis Reverendissime, dignum fraterna pietate, dignum tuo erga literas studio, si me & mea studia quorum hic, quem tibi offero, commentarius in primos duos libros epistolarum CICERONIS ad Atticum, fructus pene primus est, in tuam fidem patrociniumque receperis. Quod ut facias te etiam atque etiam oro. Vale, & literis, quod facis, jave. Lutetiae, Idib. Novemb. [M. D. XLIII.]



# ANTONII GOVEANI

COMMENTARIVS

IN

M. TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM

AD

ATTICVM.

LIB. XVI.

CORNELIVS NEPOS in *vita T. Pomponii Attici*, de iis M. TVLLII ad Atticum epistolis in hunc modum scribit: ATTICVM, inquit, praecipue dilexit CICERO, ut ne QUINTVS quidem frater ei charior fuerit, aut familiarior. Ei rei sunt indicio, praeter eos libros in quibus de eo facit mentionem qui in vulgus editi sunt, XVI. volumina epistolarum ab Consulatu eius, usque ad extremum vitae tempus ad ATTICVM missarum: quae qui legat non multum desideret historiam contextam illorum temporum. Sic enim omnia de studiis Principum, vitiis Ducum, aemulationibus reipublicae perscripta sunt, ut nihil in iis non appareat, & facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem. Non enim CICERO ea solum quae vivo se acciderunt, futura praedixit, sed etiam quae nunc usu veniant, cecinit ut vates. Haec NEPOS. Familiares autem dici possunt hae epistolae CICERONE ipso authore, qui epistola libri primi cuius est initium. Nimum raro, ita scribat, Itaque propter hanc dubitationem meam brevior haec ipsa epistola est, quod cum incertus essem ubi esses, nolebam illum nostrum familiarem sermonem in alienas manus devenire. Porro T. POMPONIVS Attici cogomen Athenis reportavit, quemadmodum scribit M. TVLLIVS in praefatione Catonis Maioris: POMPONII enim Vituli erant cognomento, quemadmodum scribit, M. VARRO libro de re rustica secundo, iis prope verbis, Et quod nomina, inquit, multa & item cognomina habemus ab utroque pecore a maiore & a minore: nomina a minore, Porcius, Quintus, Caprius, a maiore Equitius: Cognomina ut Annaei Caprae, Statilii Tauri, Pomponii Vituli.

---

M. TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM

LIBER PRIMVS,

AD

ATTICVM.

PETITIONIS nostrae, quam tibi summae curae esse scio, huiusmodi ratio est, quod adhuc coniectura provideri possit. Prensat unus P. GALBA; sine furo ac fallaciis, more majorum, negatur; ut opinio est hominum, non aliena rationi nostrae



nostrae fuit illius haec praepropera prensatio; nam illi ita negant vulgo, ut mihi se debere dicant; ita quiddam spero nobis profici, cum hoc percrebrescit, plurimos nostros amicos inveniri. Nos autem initium prensandi facere cogitaramus eo ipso tempore, quo tuum puerum cum his litteris proficisci CINCIVS dicebat, in campo, comitiis Tribunitiis, A. D. XVI. Kalend. Sext. Competitores, qui certi esse videantur, GALBA, & ANTONIVS, & Q. CORNIFICIVS; puto te in hoc aut risisse, aut ingemuisse, ut frontem ferias; sunt, qui etiam CAESONIVM putent. AQVILLIVM non arbitramur, qui denegat, & iuravit morbum, & illud suum regnum iudiciale opposuit. CATILINA, si iudicatum erit MERIDIE NON LIQERE, certus erit competitor. De AVFIDIO, & PALICANO, non puto te expectare dum scribam. De iis, qui nunc petunt, CAESAR certus putatur. THERMVS cum SILANO contendere existimatur; qui sic inopes & ab amicis, & existimatione sunt, ut mihi videatur non esse ἀδύνατος. CVRIVM obducere; sed hoc praeter me nemini videtur. Nostris rationibus maxime conducere videtur, THERMVVM fieri cum CAESARE; nemo est enim ex iis, qui nunc petunt, qui, si in nostrum annum reciderit, firmior candidatus fore videatur; propterea quod Curator est viae Flaminiae, quae tum erit absoluta sane facile; quare cum libenter nunc CAESARI Consulem addiderim. Petitorum haec est ad huc informata cogitatio. Nos in omni munere candidatorio fungendo summam adhibebimus diligentiam: & fortasse, quoniam videtur in suffragiis multum posse Gallia, cum Romae a iudiciis forum refrixerit, excurremus mense Septembri legati ad PISONEM, ut Ianuario revertamur. Cum perspexero voluntates nobilium, scribam ad te; caetera spero prolixa esse, bis duntaxat urbanis competitoribus. Illam manum, tu mihi, cura, ut praestes, quoniam proprius abes, POMPEII nostri amici nega me ei iratum fore, si ad mea comitia non venerit. Atque haec huiusmodi sunt. Sed est, quod abs te mihi ignosci pervelim CAECILIVS, avunculus tuus a P. VARIO cum magna pecunia fraudaretur, agere coepit cum eius fratre CANINIO SATYRO de iis rebus, quas eum dolo malo mancipio accepisse de VARIO diceret; una agebant caeteri creditores, in quibus erat LVCVLLVS, & P. SCIPIO, & is, quem putabant magistrum fore, si bona venirent, L. PONTIVS; verum hoc ridiculum est, de magistro nunc cognoscere; rogavit me CAECILIVS, ut adessem contra SATYRVVM; dies fere nullus est, quin hic SATYRVVS domum meam venitet; observat L. DOMITIVM maxime: me habet proximum; fuit & mihi, & QVINTO fratri magno usui in nostris petitionibus; sane sum perturbatus, cum ipsius SATYRI familiaritate, tum DOMITII, in quo uno maxime ambitio nostra nititur; demonstravi haec CAECILIO: simul & illud ostendi, si ipse unus cum illo uno contenderet, me ei satisfacturum fuisse: nunc in causa universorum creditorum, hominum praesertim amplissimorum, qui sine eo, quem CAECILIVS suo nomine perbiberet, facile causam communem sustinerent, aequum esse, eum & officio meo consulere, & tempori; durius accipere hoc mihi visus est, quam vellem & quam homines belli solent: & postea prorsus ab instituta nostra paucorum dierum consuetudine longe refugit. Abs te peto, ut mihi hoc ignoscas, & me existimes humanitate esse prohibitum, ne contra amici summam existimationem miserrimo eius tempore venirem, cum is omnia sua studia, & officia in me contulisset; quod si voles in me esse durior, ambitionem putabis mihi obstitisse; ego autem arbitror, etiam si id sit, mihi ignoscendum esse; ἐπει δὲ ἔστιν ἰερήιον, ἔδ' ὁμοίην vides enim, in quo cursu sumus, & quam omnes gratias non modo retinendas, verum etiam acquirendas putemus. Spero tibi me causam probasse; cupio quidem certe. Hermathena tua valde me delectat, & posita ita belle est, ut totum gymnasium ἡλὶς ἀνάδημα esse videatur; multum te amamus.



## IN PRIMAM EPISTOLAM.



ETITIONIS nostrae, quam tibi summae curae esse scio, huiusmodi ratio est, quod adhuc coniectura provideri possit.] De iis qui nobiscum petituri sunt, haec est adhuc informata cogitatio. Hoc autem in loco

QVOD PRO QVANTVM positum videtur. Ita TERENTIUS, *Quod queam eum ut adiutem.*

*Prensas unus P. Galba.*] P. Sulpitius Galba. Sulpitii alii *Ruffi*, alii *Galbae*, alii *Galli*. Quid *prensare* sit, notum omnibus esse arbitror.

*Sine fuco ac fallaciis.*] Is sine fuco ac fallaciis petit, qui blanditiis spectaculorum & prandiorum non tentat populi suffragia elicere, & ut uno verbo dicam, qui suffragia non eblauditur.

*More maiorum.*] Veteres aequabiliter omnes erant viri boni atque integri: ita ut nihil nisi quod verum esset, facerent aut probarent. Verum autem non putabant civium benevolentiam cibi aut spectaculorum voluptatibus allicere. Vide orationem pro L. Murena.

*Illius haec praepropera prensatio.*] Praepropera Galbae prensatio dicitur, non quod ante tempus Galba petierit, sed quod ex iis, qui petituri erant, primus petere appropere. Initium autem prensandi biennio ante fieri solebat. Cui rei argumento est *lex Tullia de ambitu* his verbis scripta, *Ne eo biennio quo quis peteret, petiturusve esset, gladiatores populo daret, nisi ex testamento praestituta die.* Sic enim eam legimus & in *Sestiana defensione*, & *Vatiniana interrogatione*.

*Nos autem prensandi initium facere.*] Cicero in secundum annum, non in proximum petebat. In proximum annum petebant L. Iulius Caesar, Qu. Martius Thermus, D. Syllanus. Sic enim hac eadem epistola, *De iis qui nunc petunt Caesar certus putatur: Thermus cum Syllano contendere existimatur.*

*Eo ipso tempore quo tuum puerum cum iis literis proficisci Cincius dicebat.*] Atticus in Epeiro tum erat ubi praeclaras emerat possessiones Cincius autem Romae eius negotia curabat. Hic est L. Cincius cuius mentio fit hoc eodem libro, *epistolis quinta, sexta, & ultima.*

*Comitiis Tribunitiis ad XI. Cal. Sext. competitors qui certi esse videbantur, Galba & Antonius, & Qu. Cornificius.*] Quid consulatus petitoribus cum comitiis Tribunitiis, quibus Tribuni plebis creantur? an ad omnia comitia candidati veniebant, ut populo se commendarent? Sic videtur. Antonius autem cuius hic mentio fit, C. est Antonius M. Antonii Oratoris filius. Qu. Cornificius Aedile Cicerone Tribunus plebis fuit, testis CICERO in II. *Verrina*: ad eum CICERONIS extant epistolae. *Certi compe-*

*tiores* sunt qui certo petituri nobiscum sunt, neque petitionem abiecturi: multi enim facile desistebant a petitione.

*Puto te in hoc aut risisse aut ingemuisse ut frontem ferias. Sunt qui etiam Caesonium putent.*] In Cornificio intelligit. Res digna est in qua aut rideamus, aut ingemiscamus & suspiremus, cum homines honore aliquo indignissimos, eum tamen petere audimus. *Frontem autem feriunt*, qui supra modum indignantur. Oratio ergo ita est distinguenda & interpungenda, ut distinguitur ab ERASMO, in proverbio *Frontem ferire. Puto te in hoc aut risisse aut ingemuisse: ut frontem ferias, sunt qui etiam Caesonium putent.* Hac sententia, Quod Cornificius petat, dignum id quidem aut risu, aut suspirio, quod autem etiam Caesonius dicatur petiturus, id vero indignissime ferendum esse. Hunc tamen M. Caesonium suum in aedilitate Collegam integrum virum & incorruptum CICERO in *secunda Verrina* facit, & in rebus iudicandis cognitum & spectatum. Verba CICERONIS haec sunt, *Accedet nobis etiam illud, Iudex est M. Caesonius collega nostri accusatoris homo in rebus iudicandis spectatus & cognitus, quem minime expediat esse in eo consilio, quod conemur aliqua ratione corrumpere. Propterea quod iam antea cum index in Iuniano consilio fuisset, turpissimum illud facinus non solum graviter tulit, sed etiam in medium protulit.* Quo eodem loco Qu. Cornificium iudicem integerrimum ac severissimum vocat. Qu. inquit *Manlium & Qu. Cornificium duos severissimos atque integerrimos iudices, quod Tribuni plebis tum erunt, iudices non habebimus.* Dicendum itaque est in orationibus CICERONEM aliter loqui aliter sentire, scribere autem ad Atticum, hoc est, ad alterum se, non nisi quod sentiat.

*Aquilium non arbitrabamur, qui denegat.*] C. Aquilius Gallus Ciceronis in Praetura collega fuit: unde eum in *Topicis suum collegam* CICERO vocat. Et cum Cicero de repetundis quaereret, ipse de ambitu quaerebat. Testis M. TULLIUS in oratione pro Cluentio Habito. Is ergo denegabat & omni asseveratione confirmabat se non petiturum. *Denegare* maiorem habet vim quam *negare*. TERENTIUS, *Quid Chremes, qui denegarat se commissurum mihi gnatam suam uxorem, id mutavit.*

*Et iuravit morbum.*] Se morbo excusavit: morbum causatus est. Ut omnium magistratum, ita praecipue consulatus petitio laboris erat & sollicitudinis plenissima: ut male sibi consulerent, qui infirma valetudine cum essent ad petendos honores se conferebant. Excusatione autem valetudinis utebantur, qui munus aliquod obire non poterant ob virium infirmitatem. CICERO *Philippica nona, Vos enim pa-*



*tres conscripti (grave dictu est, sed dicendum tamen) vos inquam Servium Sulpitium vita privastis: quem cum videretis se magis morbo quam oratione excusantem, non vos quidem crudeles fuistis, quid enim minus in hunc ordinem convenit? sed cum speraretis nihil esse quod non illius auctoritate & sapientia effici posset, vehementius excusationi obstitistis.*

*Et illud suum regnum iudiciale opposuit.]* Malebat Aquilius regnare in iudiciis quam fieri Consul. Consul enim factus iudicare non potuisset. Nam qui in magistratu erant, Iudices esse non poterant. M. TVLLIVS *secunda Verriana, Iudex est M. Caesonius Collega nostri accusatoris, hunc ex cal. Ianuariis Iudicem non habebimus. Qu. Manlium, & Qu. Cornificium duos severissimos atque integerrimos Iudices, quod Tribuni plebis tum erunt, iudices non habebimus. P. Sulpitius iudex tristis & integer magistratum ineat necesse est nonis Decembribus. M. Crepereius ex acerrima illa equestri familia & disciplina, L. Cassius ex familia tum ad caeteras res, tum ad iudicandum severissima, Cn. Tremellius homo summa religione & diligentia: tres ii homines veteres Tribuni plebis militares sunt designati: ex Caled. Ianuariis non iudicabunt. Quo ex loco aperte intelligimus, eos qui in magistratu essent, non iudicasse. Opponere autem regnum est causari regnum: causam enim opponere Latine dicimus. M. TVLLIVS in epistola ad Qu. Fratrem cuius est initium, Tu metuis ne me interpelles, Opposuisti semel ἀντίεταυ causam Ciceronis nostri valetudinem, conticui: iterum caeteri omnes quieti.*

*Catilina, si iudicatum erit meridie non liquere, certus erit competitor.]* Si Catilina reus nocentissimus absolvetur, qui a P. Clodio de repetundis accusatur ob Africam vexatam & despoliatam in Praetura. Caeterum ut aliorum sententias omittam, scriptum fuisse puto, *Meridie non lucere.* Sed cum in veteribus libris scribatur *i pro u*, invenit aliquis *Licere* scriptum pro *Lucere*, & ex *Licere* *Liquere* fecit.

(Locus insignis post editionem animadversus.)

*Catilina si iudicatum erit meridie non lucere certus erit competitor.)* Locus hic multorum ingenia exercuit: neque dum tamen constat quo modo aut emendandus sit, aut intelligendus. EMARVS RANCONETVS, vir acerrimi iudicii & singularis eruditionis, suspicatur sic scriptum fuisse, *Catilina nisi iudicatum erit rationem habere non licere, certus erit competitor.* Multa autem concurrunt, qui coniecturam hanc se dicat facere, Primum quia ut nunc legitur, nullam bonam locum habeat sententiam: tum vero quia ASCONIVS PAEDIANVS scribat Volcatium COS. cum Catilina repetundarum accusaretur, & peteret nihilominus Consulatum, consilium publicum habuisse, an rationem Catilinae habere deberet si peteret: eam-

que ob causam Catilinam a petitione destitisse. Postremo quia non semel genus hoc loquendi apud CICERONEM reperitur: scribit enim in *Bruto de Glaucia* CICERO, *eum Consulatum facile adepturum fuisse, si rationem eius haberi licere iudicatum esset.*)

*De Aufidio, & de Palicano non puto te expectare dum scribam.]* Sext. quendam Aufidium commendat M. TVLLIVS Qu. Cornificio. Cn. item Aufidii meminit *quinto libro de finib. viri Praetorii.* Sed quoniam *hoc in loco* Aufidii & Palicani facit mentionem, scriptum fuisse puto de *A. filio*, ut *Afranum* intelligat, qui Consul postea fuit cum Metello: de quo *epistola huius libri* cuius est initium, *Nihil mihi nunc scito. Auli autem filius o di immortales quam ignavus ac sine animo miles? quam dignus qui Palicano; sicuti facit, os ad male audiendum quotidie praebeat? Epistola item ultima huius libri* ita scribit, *A. filius vero ita se gerit, ut eius consulatus non consulatus sit, sed magni nostri πρόπιον.* Ex quibus locis colligo non *Aufidio* sed *A. filio* hic legendum. De Palicano ita M. TVLLIVS in oratione pro *Cluentio Habito*, *M. Attilius Palicanus magis loquax quam facundus.* Item in *Bruto*, *Aptior autem etiam imperitorum auribus Palicanus.*

*De iis, qui nunc petunt Caesar certus putatur.]* L. Iulius Caesar in annum proximum petebat consulatum, quid autem sit *certus petitor*, paulo ante explicabamus. De C. Iulio Caesare locus intelligi non potest, neque enim dum petere consulatum poterat. Cum ergo L. petitorum faciat, mirum est in *extrema hac epistola* scriptum sic esse, *L. Iulio Caesare, C. Martio Figulo Consulibus filiolo me auctum scito.* Eundem enim in *eadem epistola* & petitorum Consulatus & Consulem facere videtur. Sed cum ad eum locum ventum erit dicemus, quid nobis ea de re videatur.

*Vt mihi videatur non esse ἀδύνατον Curium obducere.]* Curium se illis opponere & cum illis contendere. De Curio hoc ita SALLVSTIVS in *coniuratione Catilinae*, *Sed in ea coniuratione fuit Qu. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus: quem Censores senatu probri gratia moverant. Huic homini non minor vanitas quam audacia inerat.*

*Qui si in nostrum annum reciderit, firmior candidatus fore videatur.]* Qui si in nostrum annum reiectus fuerit, maiora populi studia habiturus videatur.

*Propterea quod curator est viae Flaminiae, quae tum erit absoluta sane facile.]* Curatio viarum munus erat convenientissimum ad multitudinis gratias acquirendas, maxime enim ad populi commodum ea res pertinet, ipsique praeterea curatores infimam sibi conciliant & adiungunt nullo negotio multitudinem, quam ad opus publicum faciendum mercede conductam habent.

Tres



Tres porro erant viae quibus Roma Mutinam veniebatur, Flaminia a mari supero, Aurelia a mari infero, media erat Cassia. M. TULLIUS XII. Philipp. Tres viae sunt ad Mutinam, quo festinat animus, ut quamprimum illud pignus libertatis populi Romani D. Brutum aspicere possim, cuius in complexu libenter vitae extremum spiritum ediderim: cum omnes actiones horum mensium, omnes sententiae meae pervenerint ad eum exitum, qui mihi fuit propositus. Tres ergo, ut dixi, viae, a supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia.

Quare eum libenter nunc Caesari consulem addiderim.] Sic mihi locum emendari placet, gaudeoque ita quoque PAVLO MANVTIO placuisse, qui hanc gloriam mihi secum communem esse patietur. Prius quidem illius Notationes in lucem venerunt quam nostrae, sed nescio illine an mihi prius hoc in mentem venerit. Vendicare itaque ille id sibi potest suum scilicet, sed rei ea natura est, ut plures habere dominos possit. Verum ad rem. Quare, inquit CICERO, eum hoc anno Consulem cum Caesare creari vellem, ne, si in nostrum annum reciderit, tam firmum habeam competitorem.

Videtur in suffragiis multum posse Gallia.] Galliae finis Rubico est. Testis CICERO sexta Philipp. In ea multae erant Coloniae, multa item municipia: itaque in suffragiis plurimum poterat. CICERO Philippica secunda, Ex omnium omnibus flagitiis nullum turpius vidi, nullum audiui, quam quod qui magister equitum tibi fuisse viderere, in proximum annum consulatum peteres vel rogares potius, is per municipia, coloniasque Galliae, a qua cum consulatus noster petebatur non rogabatur, Consulatum petere solebamus, cum Gallicis & lacerna cucurristi.

Cum Romae a iudiciis forum refrixerit, excurremus mense Septembri legati ad Pisonem, ut Ianuario revertamur. Romae a mense Septembri usque ad Ianuarium iudicia frigeant propter ludorum frequentiam. CICERO secunda Verriana, Nonae sunt hodie Sextiles: hora nona convenire coepistis; hunc diem iam ne numerant quidem; decem dies sunt ante ludos votivos, quos Cn. Pompeius factururus est, ii ludi dies quindecim auferent: deinde continuo Romani consequentur; deinde se ducturos facile & dicendo & excusando usque ad ludos Victoriae, cum iis Plebeios esse coniunctos: secundum quos aut nulli aut pauci ad agendum dies futuri sunt. Nolebat autem M. Tullius calente iudiciis foro proficisci, quoniam populo grata erat eius opera assiduitasque forensis. Legatorum porro varia sunt genera, quemadmodum in Vatinianam interrogationem notatum a nobis est. Neque vero existimandum est voluisse Ciceronem ad Pisonem excurrere Legatum, ut in eius exercitu legioni praeesset, quin potius ut mandata Senatus aliqua ad eum perferret. CICERO II. de Oratore, Quod si, quod saepe

summis viris accidit, mandata sunt exponenda, aut in Senatu ab Imperatore, aut ad Imperatorem, aut ad regem aut ad populum aliquem ab Senatu? Ad quem autem Pisonem Cicero excurrere voluerit, superest dicamus. Cn. quidam Piso eo tempore Galliam obtinebat: quem repetundarum a Caesare accusatum propter cuiusdam Transpadani supplicium iniustum scribit SALVSTIUS in coniuratione Catilinae.

Caetera spero prolixa fore iis duntaxat urbanis competitoribus.] Caetera spero facilia fore, si cum iis qui nunc in urbe sunt, contendendum erit: quod si quis eorum, qui provincias obtinent, bello confecto ad petendum veniat, tum mihi difficiliora erunt omnia: nemini enim dubium, quantum in COS. creando suffragatio valeat militaris. CICERO pro Murena, Num tibi haec parva videntur adiumenta & subsidia Consulatus, voluntas militum, quae cum per se valet multitudine, tum apud suos gratia; tum vero in COS. declarando, multum etiam apud universum populum auctoritatis habet suffragatio militaris: Imperatores enim comitiis Consularibus deliguntur.

Illam manum tu mihi cura ut praestes (quoniam proprius abes) Pompeii amici nostri: nega me ei iratum fore, si ad mea comitia non venerit.] Veneretur M. Tullius, ne si bello confecto redeat ex Asia Pompeius, eum Consulatus competitorem habeat, qui tum in summa gloria & gratia apud omnes erat. Iocatur ergo in hunc modum, Dic Pompeio ne laboret ad mea comitia venire, me ei hoc officium facile remittere.

Caecilius avunculus tuus cum a P. Vario magna pecunia fraudaretur.] Qu. Caecilius Attici avunculus foenerator summus fuit. Is P. cuidam Vario pecuniam crediderat, qui inventus postea est solvendo non esse. Scriptum autem fuisse puto, A Publico Valerio; libri enim quinti, epistola ultima scriptum est, P. Valerium negat habere quidquam Deiotarus rex, eumque ait a se sustentari. Quaero enim quid tandem id ad Atticum; haberetne aliquid, P. Valerius, nisi is Avunculum suum, cuius haeres tum erat, fraudasset: haeredi enim in fraudatorem actio est. Existimandum itaque est P. Valerium fide Romae soluta in Gallo graeciam profugisse, & se ad regem Deiotarum contulisse.

Agere coepit cum eius fratre Caninio Satyro de iis rebus quas eum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret.] Is qui sciens P. Valerium solvendo non esse, de eo aliquid emit, dolo malo emit: in fraudem enim creditorum emere videtur. Cogitur itaque id quod emit creditoribus reddere. Sed quomodo Caninius Satyrus Valerii frater? an germanus an patruelis, an frater uxoris?

Et is quem putabant magistrum fore, si bona vaenirent, L. Pontius.] Eius qui solvendo non erat, bona vaenibant, ut creditoribus satisfaceret aliqua ex parte; quod quemadmodum fieret declarat



clarat THEOPHILVS *Instit. lib. III. Tit. de successione sublati*, quae fiebant per bonorum venditionem, & ex S. C. Claudiano. Magister porro dicebatur, qui vendendis alicuius bonis praeerat. Notus est CICERONIS iocus in oratione pro Fonteio.

Qui sine eo quem Caecilius suo nomine perhiberet, facile causam communem sustinerent.] Quod uni e creditoribus Praetor concedit, omnibus concedit, & si uni permittit, ut bona debitoris possideat, omnibus permittit. ff. de bonis Iudicis auctoritate possidendis toto titulo.

Contra amici summam existimationem venire.] Existimatio ita a Iurisconsultis definitur, illa est dignitatis status legibus ac moribus comprobatus, qui delicto nostro aut minuitur aut consumitur. Iudicio autem de dolo malo damnatus infamis fiebat. ff. de iis qui notantur infamia L. prima.

Ἐπειδὴ ἡ ἰερότης ἐστὶν ἐξ ἑσίου.] Antea legebatur, θεῖον γὰρ ἀγαθὸν ἢ τιμή. Divinum enim bonum est honor. Sumptum ex PLATONIS legibus. PETRVS tamen VICTORIVS Homericum illud hemistichium maluit ex libro XXII. Iliados: idque illi maxime placet propter verba quae sequuntur, *Vides enim in quo cursu simus.* Quasi vero non fuisset usus CICERO verbo *cursus*, nisi ad Homericum illud respexisset. Quod certe ita non est. Sic enim in oratione pro Murena, *Tu cum de curriculo petitionis deflexisses, animumque ad accusandum transtulisses.* Idem in praefatione dialogi primi de Oratore. *Si infinitus forensium rerum labor, & ambitionis occupatio*

*decursu honorum & aetatis flexu constitisset.* Idem ad Appium, *Tuorum honorum cursus cui suspectus unquam fuit?*

*Hermathena tua valde me delectat.*] Haec alterius epistolae videri possunt: extrema enim epistolae verba alterius sunt epistolae: ne idem L. Caesar in eadem epistola & candidatus & cos. fiat. epistola cuius est initium *Crebras expectationes nobis tui commoves*, scriptum sic est, *Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est, & ornamentum Academiae proprium meae: quod & Hermes commune omnium, & Minerva singulare est eius gymnasii, quo in loco ita de Hermathena scribit, ac si non dum Atticus id signum misisset, sed tantum scripsisset se emisse.*

*Et posita ita belle est, ut totum gymnasium ἡλίας ἀνάθημα esse videatur.*] Ego scriptum fuisse puto, *Vt totum gymnasium Hermathena esse videatur: hac sententia, Hermathena ita posita bono lumine est, ut totum gymnasium una Hermathena esse videatur: hoc est ut in toto gymnasio solam Hermathenam homines spectent & totum gymnasium ab eo signo illustretur.*

*Multum te amamus.*] Formula agendarum gratiarum. Idem epistola sequente, *Multum te amamus, quod ea parvo diligenterque curata sunt.* TERENCEVS *Merito te amo mi Phaedria.* Idem in PHORMIONE, *Amo te, & non neglexisse habeo gratiam.* Vnde idem quoque TERENCEVS, *Ecquid nos amas de Fidicina istac?*

L. IVLIO CAESARE, C. MARCIO FIGVLO COSS. *filiolo me auctum scito, salva TERENCEIA. Abs te tam diu nihil litterarum? Ego de meis ad te rationibus scripsi antea diligenter. Hoc tempore CATILINAM, competitorem nostrum, defendere cogitamus; iudices habemus, quos volumus, summa accusatoris voluntate; spero, si absolutus erit, coniunctiorem illum nobis fore in ratione petitionis: sin aliter acciderit, humaniter feremus. Tuo adventu nobis opus est maturo; nam prorsus summa hominum est opinio; tuos familiares, nobiles homines, adversarios honori nostro fore; ad eorum voluntatem mihi conciliandam maximo te mihi usui fore video; quare Ianuario mense, ut constituisti, cura ut Romae sis. Aviam tuam scito desiderio tui mortuam esse, & simul, quod verita sit, ne Latinae in officio non manerent, & in montem Albanum hostias non adducerent. Eius rei consolationem ad te L. SAVFEIVM missurum esse arbitror. Nos hic te ad mensem Ianuarium expectamus, ex quodam rumore, an ex litteris tuis ad alios missis? nam ad me de eo nihil scripsisti. Signa, quae nobis curasti, ea sunt ad Caietam exposita; nos ea non vidimus; neque enim exeundi Roma potestas nobis fuit; misimus qui pro vectura solveret; te multum amamus, quod ea abs te diligenter, parvoque curata sunt. Quod ad me saepe scripsisti de nostro amico placando, feci, & expertus sum omnia: sed mirandum in modum est animo abalienato: quibus de suspicionibus, etsi audisse te arbitror, tamen ex me, cum veneris, cognosces. SALLYSTIVM praesentem restituere in eius*



*veterem gratiam non potui; hoc ad te scripsi, quod is me accusare de te solebat; at in se expertus est, illum esse minus exorabilem, meum studium nec tibi defuisse. Tulliolam C. PISONI L. F. FRVGI despondimus.*

## IN SECVNDAM EPISTOLAM.



**H**oc tempore Catilinam competitorum nostrum defendere cogitamus.] ASCONIVS adversus FENESTELLAM contendit, non fuisse Catilinam a Cicerone defensum. Vide ASCONIVM in eam orationem, quam CICERO in senatu habuit in Antonium & Catilinam competitors. Accusatum repetundarum Catilinam a P. Clodio antea diximus.

*Summa accusatoris voluntate.]* Dabat pro se Iudices reus, dabat & accusator, reiiciebat & accusator: tum in reiectorum locum subfortio fiebat, ut Iudices ad numerum essent.

*Et simul quod verita sit, ne Latinae in officio non manerent, & in montem Albanum hostias non adducerent.]* Latinae civitatis numero septem & sexaginta cum Romanis in montem Albanum, qui urbi imminerebat, ad sacrificandum taurum Iovi Latiali ex Tarquini Superbi instituto conveniebant certo die anni, ut inter eos aeterna pax foret. Sacrificium autem ipsum *Latiar* vocabatur. In eo Latini a Romanis carnem petebant. Cum ergo minus iam multi e Latinis populis ad sacrificium venirent, verita est anus religiosa, ne sacrum illud funditus interiret. Minus multos autem illis temporibus iam

venire solitos ad carnem petendam, scribit M. TVLLIVS in oratione pro Cn. Plancio iis verbis, *Sic te Plancius non hoc solum te municipii, sed etiam vicinitatis genere vincebat. Nisi forte te Lavicana aut Bovillana, aut Gabina vicinitas delectabat: quibus e municipiis vix iam, qui carnem a Latinis petant inveniantur.*

*De nostro amico placando.]* L. Luceio, ad quem CICERONIS sunt epistolae. De hac eadem re multis post epistolis scribit, ita tamen ut offensionis causa intelligi nequeat.

*C. Pisoni L. filio despondimus.]* L. quidam fuit Pito, qui primus legem *de repetundis* tulit: is filium habuit L. Pisonem, qui Praetor in Hispania occisus est relicto item filio L. Pisonem, qui Aedile Cicerone iam Praetor fuerat: cuius filium fuisse puto C. Pisonem Ciceronis generum. De tribus iis Lucii Pisonibus iis verbis CICERO libro in Verrem VI. quem ego quartum facio, *Sunt vestrum Iudices quam multi, qui L. Pisonem cognoverunt, huius L. Pisonis qui Praetor fuit patrem. Is cum esset in Hispania Praetor &c. tum aliquanto post, Verum fuit ei concedendum: filius enim erat L. Pisonis eius qui primus de pecuniis repetundis legem tulit. Tres viros habuisse Tulliolam docuimus in Commentario nostro in Vatiniam interrogationem.*

CREBRAS expectationes nobis tui commoves; nuper quidem, cum iam te adventare arbitraremur, repente abs te in mensem Quintilem reiecti sumus; nunc vero censeo; quod commodo tuo facere poteris, venias ad id tempus, quod scribis; obieris QVINTI fratris comitia; nos longo intervallo viseris; Acutilianam controversiam transegeris; hoc me etiam PEDUCEVS, ut ad te scriberem, admonuit; putamus enim utile esse, te aliquando iam rem transigere; mea intercessio parata & est, & fuit. Nos hic incredibili ac singulari populi voluntate de C. MACRO transigimus; cui cum aequi fuisset, tamen multo maiorem fructum ex populi existimatione, illo damnato, cepimus, quam ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepissemus. Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est; & ornamentum Academiae proprium meae, quod & HERMES commune omnium, & MINERVA singulare est insigne eius gymnasii; quare velim, ut scribis, caeteris quoque rebus quam plurimis eum locum ornes. Quae mihi antea signa misisti, ea nondum vidi; in Formiano sunt; quo ego nunc proficisci cogitabam; illa omnia in Tusculanum deportabo. Caietam, si quando abundare cepero, ornabo; Libros tuos conserva; & noli desperare, eos me meos facere posse; quod si assequor, supero CRASSVM divitiis, atque omnium vicos, & prata contemno.



ANTONII GOVEANI COMMENT.  
IN TERTIAM EPISTOLAM.



rebras expectationes.] Hanc epistolam Praetor Cicero videtur scripsisse, quod enim de C. Macro dicit transgisse, in Praetura transgessit. Vide *PLVTARCHVM* in *vita Ciceronis*. Caeterum C. Licinius Macer non potuit apud Ciceronem accusari nisi de repetundis: etsi *PLVTARCHVS* in *Cicerone peculatus* scribat. ea enim illius in Praetura quaestio fuit: quemadmodum in *oratione pro Rabirio Posthumo* ipse iis verbis testatur, *De pecuniis repetundis multos defendi, Praetor quaesivi, Iudex sedi*. Neque vero dicere possumus duas datas quaestiones Tullio repetundarum & peculatus. Nam neque duae quaestiones uni Praetori dabantur, & ipse *TULLIVS* in

*Cluentiana C. Orcinii quaestionem de Peculatu fuisse* scribit.

*Obieris Qu. fratris comitia.*] Veneris ad Qu. fratris comitia. Quintus tum Praetoram petebat.

*Caietam, siquando abundare cepero, ornabo.*] An fundum dicit aliquem in Caietano, an vero nomen fundi proprium est *Caieta*? *lib. XIII.* scriptum sic est, *Postridie idus Paulum in Caieta vidi*.

*Supero Crassum divitiis, & omnium vicos ac prata contemno.*] Summum tum Romanos studium tenebat pratorum. *VARRO secundo de re rustica*, *Itaque in qua terra culturam agri docuerunt pastores progeniem suam qui condiderunt urbem, ibi contra progenies eorum propter avaritiam ex segetibus fecit prata.*

QUANTVM dolorem acceperim, & quanto fructu sim privatus & forensi, & domestico, *LVCII* fratris nostri morte, in primis pro nostra consuetudine tu existimare potes; nam mihi omnia, quae iucunda ex humanitate alterius, & moribus homini accidere possunt, ex illo accidebant; quare non dubito, quin tibi quoque id molestum sit, cum & meo dolore moveare, & ipse omni virtute, officioque ornatissimum tuique & sua sponte, & meo sermone amantem, affinem, amicumque amiseris. Quod ad me scribis de sorore tua; testis erit tibi ipsa, quantae mihi curae fuerit, ut *QVINTI* fratris animus in eam esset is, qui esse deberet: quem cum esse offensorem arbitrarer, eas litteras ad eum misi, quibus & placarem ut fratrem, & monerem ut minorem, & obiurgarem ut errantem; itaque ex iis quae postea saepe ab eo ad me scripta sunt, confido ita esse omnia, ut & oporteat, & velimus. De litterarum missione, sine causa abs te accusor; numquam enim a *POMPONIA* nostra certior sum factus, esse, cui litteras dare possem; porro autem neque mihi accidit, ut haberem, qui in Epirum profisceretur: neque dum te Athenis esse audiebamus. De *Acutiliano* autem negotio quod mihi mandaras, ut primum a tuo digressu Romam veni, confeceram: sed accidit, ut & contentione nihil opus esset, & ut ego, qui in te satis consilii statuerim esse, malletm *PEDUCEVM* tibi consilium per litteras, quam me dare; etenim cum multos dies aures meas *ACVTILIO* dedissem; cuius sermonis genus tibi notum esse arbitror; non mihi grave duxissem scribere ad te de illius querimoniis, cum eas audire, quod erat subdiosum, leve putassem; sed abs te ipso, qui me accusas, unas mihi scito litteras redditas esse, cum & otii ad scribendum plus, & facultatem dandi maiorem habueris. Quod scribis, etiam si cuius animus in te esset offensior, a me recolligi oportere; quid dicas: neque id neglexi: sed est miro quodam modo affectus; ego autem, quae dicenda fuerunt de te, non praeterii; quid autem contendendum esset, ex tua putabam voluntate statuere oportere: quam si ad me perscripseris, intelliges me neque diligentiozem esse voluisse, quam tu esses, neque negligentiozem fore, quam tu velis. De *Tadiana* re, mecum *TADIVS* locutus est, te ita scripsisse, nihil esse iam, quod laboraretur, quoniam haereditas usucapta esset; id mirabamur te ignorare, de tutela legitima, in qua dicitur esse puella, nihil usucapi posse. Epiroticam emptionem gaudeo tibi placere. Quae tibi mandavi, & quae tu intelliges convenire nostro Tusculano, velim, ut scribis, cures, quod sine molestia



lestia tua facere poteris; nam nos ex omnibus molestiis, & laboribus uno illo in loco conquiescimus, quo fratrem quotidie expectamus. TERENTIA magnos articulorum dolores habet, & te, & sororem tuam, & matrem maxime diligit, salutemque tibi plurimam adscribit, & TVLLIOLA, delitiae nostrae. Cura, ut valeas, & nos ames; & tibi persuadeas, te a me fraterne amari.

## IN QVARTAM EPISTOLAM.



Lucii fratris nostri morte. M. Cicero patrum habuit L. Ciceronem, quemadmodum ipse testatur in prooemio libri secundi de Oratore. Is filium habuit L. Ciceronem, quem CICE-RO fratrem suum vocat: Patruales enim fratres vocantur. TERENTIUS in Phormione, *Vt ut meae res sunt, gaudeo fratri evenisse omnia ex sententia.* Quo in loco Antipho Phaedriam suum patrualem, fratrem vocat. CICERO libro epistolarum harum secundo, epistola cuius est initium, *De geographia, Cicero meus tibi mandat ut Aristodemum idem de se respondeas, quod de fratre suo sororis tuae filio.* Idem libro v. de Finibus, *Vnaque nobiscum Qu. frater & T. Pomponius, & L. Cicero frater noster, cognatione patruelis, amore germanus.* Hic est L. Cicero, qui cum M. Tullio profectus in Siciliam est ad inquirendum in Verrem, ut testis est M. ipse TVLLIVS in Verrinis orationibus multis locis. Porro apud Ciceronem fratres dici reperio propinquos maritorum sororum nostrarum. M. CICERO in oratione pro domo sua, *An ego cum P. Lentulus cos. optime de me ac de repub. meritis, cum Qu. Metellus, qui cum meus inimicus esset, frater tuus, & dissensionis nostrae, &c.* Quintum Metellum Celerem nemo nescit habuisse in matrimonio Clodiam Clodii sororem: Celeris autem propinquus erat Nepos, qui cum P. Lentulo cos. fuit. Metellorum enim alii Celeres, erant, alii Nepotes: quemadmodum in Bruto scribit M. TVLLIVS.

*Quod scribis de sorore tua, &c.* Quanta fuerit morum acerbitas in Pomponia Attici sorore, testis est M. TVLLIVS epistola prima libri v.

*Et ut oporteat.] Oportere officii perfectionem significat; testis M. TVLLIVS in Oratore ad M. Brutum.*

*De Acutiliano autem negotio quod mihi mandaras.]* Quid Acutilio cum Attico controversiae fuerit, divinare non possumus. Mandarat autem Atticus Ciceroni, ut pro se intercederet, ne fastidare cogereetur. Vide epistolam cuius est initium, *Apud te est ut volumus, hoc eodem libro.*

*De Tadiana re, mecum Tadius locutus est te ita scripsisse, nihil esse iam quod laboraretur, quoniam haereditas usucapta esset. Id mirabamur te ignorare de tutela legitima, in qua dicitur esse puella, nihil usucapi posse.]* Species est huiusmodi, Puellae quae in legitima tutela erat, haereditas aliqua inscienti obvenerat. In quam cum iuris aliquid haberet Tadius, haereditatem adit, bona fide biennio possidet; exacto biennio puellae tutores haereditatem repetunt a Tadio: ille defendere ad se iure pertinere. Laboranti itaque Tadio & verenti ne causa caderet, scribit Atticus nihil esse quod laboret, captam esse usu haereditatem: rerum enim soli usus autoritas biennii est. Illud scilicet non videbat Atticus pupillorum bona non posse usucapi: in quibus autem rebus usucapio legibus prohibetur, in iis neque bonam fidem prodesse quicquam, neque longi temporis possessionem. Quod si tutorem puellae Tadium esse volumus, eum Atticus monebit ne se frustra torqueat, haereditatem esse iam usucaptam ab eo adversus quem puellae nomine litigabat. Verum quid est quod tutelae legitimae meminit? An de testamentaria tutela (duo enim sunt tutelarum genera) usu aliquid capi potest? minime, non ergo facienda vis est in legitima, sed in tutela. Sed legitimam expressit CICERO, quoniam ita usucapuerat, ut puella in legitima tutela esset non testamentaria. Legitima autem tutela est quae ad agnatos legibus XII. tabularum desertur, cum testamento tutores dati non sunt: cum vero dati sunt, tum testamentaria tutela appellatur.

NON committam posthac, ut me accusare de epistolarum negligentia possis; tu modo videto, in tanto otio ut par mihi sis. Domum Rabirianam Neapoli, quam tu iam dimensam, & exaedificatam animo habebas, M. FONTINVS emit H-S CCCIOOO XXX. id te scire volui, si quid forte ea res ad cogitationes tuas pertineret. Q Frater, ut mihi videtur, quo volumus animo est in POMPONIAM & cum ea nunc in Arpinatibus praediis erat, & secum habebat hominem χριστιομαθη, D. TVRRAN-



NIVM. Pater nobis decessit A. D. VIII. Kal. Decembr. Haec habebam fere, quae te scire vellem. Tu, velim, si qua ornamenta γυμνασιῶν reperire poteris, quae loci sint eius, quem tu non ignoras, ne praetermittas. Nos Tusculano ita delectamur, ut nobismet ipsis tum denique, cum illo venimus, placeamus. Quid agas omnibus de rebus, & quid acturus sis, fac nos quam diligentissime certiores. apud matrem recte est, eaque nobis curae est. L. CINCIO H-S XXCD constitui me curaturum Idibus Febr. Tu, velim, ea, quae nobis emisse, & parasse scribis, des operam, ut quam primum habeamus: & velim cogites, id quod mihi pollicitus es, quemadmodum bibliothecam nobis conficere possis; omnem spem delectationis nostrae, quam cum in otium venerimus, habere volumus, in tua humanitate positam habemus.

## IN QUINTAM EPISTOLAM.



**D**e epistolarum negligentia accusare possis.] Quid inter literas & epistolam intersit, significat iis verbis M. Tullius, Accepi, inquit, abs te ternas literas una epistola.

Et exaedificatam animo habebas.] Ad fastigium usque perduxeras.

HS. CCCLXXX.] HS. centum triginta millibus. Vide PROBVM grammaticum.

Siquid forte ea res ad tuas cogitationes pertineret.] Vt si forte velles emere, scires & a quo & quanti emenda esset.

Et secum habebat hominem χρησιμῶν, D. Turrannium.] Hic est Turrannius Niger, ad quem M. VARRO secundum de re rustica librum feribit. Caeterum χρησιμῶν non χρησιμῶν scribendum puto, hoc est, hominem oraculorum & praeceptorum plenum, & totum quantus erat, sapientiam: qui Qu. Ciceronem poterat mone- re, ut in uxorem esset eo animo quo debebat.

L. Cincio HS. XXCD. constitui me curaturum,

&c.] Hinc constituta pecunia a Iurisconsultis dicitur, quam nos certo die curaturos constitui- mus. Vnde M. TULLIVS in epistola ad M. Marium, Quare, inquit, si quod constitutum cum podagra habes, fac ut in alium diem differas. Curare autem est solvere & dare. TERENCE in Phormione. Datunne argentum est? D. curavi illico. Quantum attinet ad numerum pecuniae, scriptum fuisse puto HS. XX. & DC. hoc est, sestertium viginti millia & sexcentos sestertios, haec enim pecunia si pro signis Megaricis curanda erat, tanta esse non poterat, quanta legitur epistola sequente: figulina enim erant signa Megarica. Verres in Sicilia multa Praxitelis Myronis & Polycleti signa HS. VI. millibus emit.

Quam cum in otium venerimus habere volumus.] In senectute; sic enim epistola cuius est initium, Cum essem in Tusculano, Nam ego omnes meas vindemiolas eo reservo, ut illud subsidium senectuti parem.

APVD te est, ut volumus; mater tua, & soror a me, QUINTOQUE fratre diligitur.

Cum ACVTILIO sum locutus; is sibi negat a suo procuratore quidquam scriptum esse, & miratur istam controversiam fuisse, quod ille recusarit satisfacere, amplius abs te non peti. Quod te de Tadiano negotio decidisse scribis; id ego TADIO & gratum esse intellexi, & magnopere iucundum. Ille noster amicus, vir me hercule optimus, & mihi amicissimus, sane tibi iratus est; hoc, si, quanti tu aestimes, sciam, tum, quid mihi elaborandum sit, scire possim. L. CINCIO H-S CCID CCID CCCC pro signis Megaricis, ut tu ad me scripseras, curavi. Hermae tui Pentelici cum capitibus aeneis, de quibus ad me scripsisti, iam nunc me admodum delectant; quare velim, & eos, & signa, & caetera, quae tibi eius loci, & nostri studii, & tuae elegantiae esse videbuntur, quam plurima, quam primumque mittas, & maxime quae tibi gymnasii, xystique videbuntur esse; nam in eo genere sic studio efferimur, ut abs te adiuvandi, ab aliis prope reprehendendi simus; si LENTVLI navis non erit, quo tibi placebit, impenito, TVLLIOLA, deliciolae nostrae, tuum munusculum flagitat, & me, ut sponsorem, appellat; mi autem abiurare certius est, quam dependere.



## IN SEXTAM EPISTOLAM.



QVOD ILLE recusaret.] Quod cum tu satisdare olim voluisses, ille noluerat. Satisdatur per se, cautum autem datur per alium.

Ille noster amicus, &c. sane tibi iratus est.] L. Luceius. Sane autem valde significat. Sic enim prima epistola huius libri, Sane sum perturbatus. Item epistola ultima libri secundi, Et te hoc scribere a me tibi esse missum sane volo.

Hermæ tui Pentelici.] E marmore Pentelico. Pentele in Attica est.

Et nostri studii.] Quibus nos intelligis delectari. Studium pro delectatione sæpe apud

TERENTIVM legimus, sæpe apud ipsum CICERONEM. Sic enim secundo de legibus, Quid plura? hanc vides villam ut nunc quidem est, lautius aedificatam patris nostri studio, qui cum esset infirma valetudine hic fere aetatem egit in literis. Idem in Catone maiore, Ignoscetis autem: nam & studio rerum rusticarum provectus sum, & senectus est natura loquacior.

Quae tibi gymnasii xystique videbuntur esse.] Quae tibi gymnasii & palestrae videbuntur esse. Sic enim epistola ab hinc tertia, Et maxime quae tibi palestrae gymnasique videbuntur esse.

Abiurare certius est.] Negare me pro te spondisse deliberatius est.

NIMIVM raro nobis abs te litterae afferuntur: cum & multo tu facilius reperias, qui Romam proficiscantur, quam ego, qui Athenas: & certius tibi sit, me esse Romae, quam mihi, te Athenis. Itaque propter hanc dubitationem meam brevior haec ipsa epistola est: quod cum incertus essem, ubi esses, nolebam illum nostrum familiarem sermonem in alienas manus devenire. Signa Megarica, & Hermas, de quibus ad me scripsisti, vehementer expecto; quidquid eiusdem generis habebis, dignum Academia tibi quod videbitur, ne dubitaris mittere, & arcae nostrae confidito; genus hoc est voluptatis meae: quae γυμνασιῶδῃ maxime sunt, ea quaero. LENTVLVS naves suas pollicetur; peto abs te, ut haec cures diligenter. CHILIVS te rogat, & ego eius rogatu, Εὐμολπιδῶν πατέρα.

## IN SEPTIMAM EPISTOLAM.



Chilius te rogat & ego eius rogatu, Εὐμολπιδῶν πατέρα.] Locum hunc erudite admodum VICTORIVS explicavit: neque tamen caeteros voluit detertere, quominus dicerent quod sentirent. Ego scriptum fuisse puto Εὐμολπιδῶν πατέρα. Chilius poeta erat; CICERO epistola huius libri cuius est initium, Quaeris ex me, Epigrammatis, inquit, tuis quae posuisti in Amaltheo, contenti erimus, praesertim cum & Chilius nos reliquerit, & Archias nihil de me scripserit. Cum ergo poeta sit, poema aliquod petere eum verisimile est, idque poetice. Eumolpidae ab Eumolpo sunt, cuius patrem Musaeum facit SVIDAS Eleusinum, Antipheni filium, versificatorem, discipulum Orphei. Plures enim fuere Musaei. Neque tamen me latet DIOGENEM LAERTIVM Eumolpum Musaei

patrem facere, & illum Eumolpidis nomen dedisse scribere. Porro de Eumolpidis, M. TVLLIVS libro de legibus secundo ita scribit, Quid ergo aget Iacchus Eumolpidaeque vestri, & augusta illa mysteria, siquidem sacra nocturna tollimus? AESCHINES in oratione contra Ctesiphontem, καὶ τὰς εὐχὰς ὑπὲρ ὑμῶν πρὸς τὰς θεὰς εὐχομεναι, καὶ ἔ μόνον ἰδίᾳ, ἀλλὰ καὶ κοινῇ τὰ γένη Εὐμολπίδας καὶ κηρυκας καὶ τὰς ἄλλας ἅπαντας. hoc est, Et eos qui pro vestra salute & incolumitate dis immortalibus preces offerunt: neque vero singulatim tantum, quin & ipsas gentes universim, Eumolpidas & praecones, reliquosque omnes. Quibus ex locis colligimus, ex Eumolpidarum gente creati solitos, qui in Bacchi nocturnis sacrificiis preces pro populi salute offerrent.

CVM essem in Tusculano, (erit hoc tibi pro illo tuo, cum essem in Ceramico) verumtamen cum ibi essem, Roma, puer a sorore tua missus, epistolam mihi abs te allatam dedit, nuntiavitque, eo ipso die post meridiem iturum eum, qui ad te proficisce-



ficisceretur; eo factum est, ut epistolae tuae rescriberem aliquid; brevitate temporis tam pauca cogere scribere. Primum tibi de nostro amico placando, aut etiam plane restituendo polliceor; quod ego, etsi mea sponte ante faciebam, eo nunc tamen & agam studiosius, & contendam ab illo vehementius, quod tantam ex epistola voluntatem eius rei tuam perspicere videor; hoc te intelligere volo, pergraviter illum esse offensum: sed quia nullam video gravem subesse causam, magnopere confido illum fore in officio, & in nostra potestate. Signa nostra, & Hermeraclas, ut scribis, cum commodissime poteris, velim imponas, & si quod aliud οἰκείον eius loci, quem non ignoras, reperies, & maxime, quae tibi palaestrae, gymnastique videbuntur esse; etenim ibi sedens haec ad te scribebam; ut me locus ipse admoneret. Praeterea typos tibi mando, quos in tectorio atrii possim includere, & plutealia sigilla duo. Bibliothecam tuam cave cuiquam despondeas, quamvis acrem amatorem inveneris: nam ego omnes meas vindemio- las eo reservo, ut illud subsidium senectuti parem. De fratre, confido ita esse, ut semper volui, & elaboravi; multa signa sunt eius rei, non minimum, quod soror praegnans est. De comitiis meis, & tibi me permisisse memini, & ego iam- pridem hoc communibus amicis, qui te expectant, praedico, te non modo non accersi a me, sed prohiberi; quod intelligam multo magis interesse tua, te agere, quod agendum est hoc tempore, quam mea, te adesse comitiis; proinde eo animo te velim esse, quasi mei negotii causa in ista loca missus esses; me autem eum & offendes erga te, & audies, quasi mihi, si qua parta erunt, non modo te praesente, sed per te parta sint. TULLIOLA tibi diem dat; sponsorem appellat.

## IN OCTAVAM EPISTOLAM.

**P**ro illo tuo, Cum in Ceramico essem.] Initium epistolae Attici, Cum in Ceramico essem. Pro quo illi hoc initium reddidit CICERO, Cum in Tusculano essem. Ceramicum porro Athenis erat: quo in loco ponebantur imagines clarorum virorum. M. TULLIVS primo de finibus, At etiam Athenis, ut a patre audiebam facete & urbane Stoicos irridente statua est in Ceramico Chryssippi sedentis porrecta manu. Vide II. de legibus ad finem.

Hermeraclas.] Signa Mercurii & Herculis. Et si quod aliud οἰκείον eius loci.] M. TULLIVS in Lucullo, Nam quomodo non potest animal ullum non appetere, id quod accommodatum ad naturam appareat, Graeci id οἰκείον appellant, sic non potest, &c.

Typos tibi mando.] Emblemata.

In tectorio Atrii.] In tectorio atrii minoris. CICERO in epistola ad Qu. fratrem, cuius est initium, Ego ex magnis caloribus, &c. Quo in loco, inquit, in porticu te scribere aiunt, ut atriolum fiat, mihi ut est, magis placebat: neque enim satis loci videbatur esse atrio, neque fere solet nisi in iis aedificiis fieri, in quibus est atrium maius.

Et plutealia sigilla duo.] Et duo parva signa, quae in pluteo ponere possim.

Sin autem.] Scriptum fuisse puto, Semper autem.

Tulliola tibi diem dat, sponsorem appellat.] Tulliola tibi diem dicit, mihi autem qui pro te sponderim, molesta est.

ET mea sponte faciebam antea, & post, duabus epistolis tuis per diligentem in eandem rationem scriptis, magnopere sum commotus; eo accedebat hortator assiduus SALLUSTIVS, ut agerem quam diligentissime cum LVCEIO de vestra veteri gratia reconcilianda; sed, cum omnia fecissem, non modo eam voluntatem eius, quae fuerat erga te, recuperare non potui, verum ne causam quidem elicere immutatae voluntatis; tametsi iactat ille quidem illud suum arbitrium, & ea, quae iam tum, cum aderas, offendere eius animum intelligebam, tamen habet quiddam profecto, quod magis in animo eius insederit: quod neque epistolae tuae, neque nostra



nostra legatio tam potest facile delere, quam tu praesens non modo oratione, sed tuo vultu illo familiari tolles, si modo tanti putabis id; quod, si me audies, & si humanitati tuae constare voles, certe putabis; ac, ne illud mirere, cur, cum ego antea significarem tibi per litteras, me sperare illum in nostra potestate fore, nunc idem videar diffidere; incredibile est, quanto mihi videatur illius voluntas obstinatio, & in hac iracundia affirmatio: sed haec aut sanabuntur, cum veneris; aut ei molesta erunt, in utro culpa erit. Quod in epistola tua scriptum erat, me iam arbitrari designatum esse; scito, nihil tam exercitum esse nunc Romae, quam candidatos, omnibus iniquitatibus; nec, quando futura sint comitia, sciri; verum haec audies de PHILADELPHO. Tu, velim, quae Academiae nostrae parasti, quamprimum mittas; mire quam illius loci non modo usus, sed etiam cogitatio delectat. Libros vero tuos cave cuiquam tradas; nobis eos, quemadmodum scribis, conserva; summum me eorum studium tenet, sicut odium iam caeterarum rerum: quas tu, incredibile est, quam brevi tempore quanto deteriores offensurus sis, quam reliquisti.

## IN NONAM EPISTOLAM.

**I**n utro culpa erit.] Et si in te offensio-  
nis huius culpa erit.  
Nihil Romae tam exercitum esse quam  
candidatos omnibus iniquitatibus.] Ca-  
tilinam & Antonium significat. Candidati omni  
ratione comitia interdum remorari conantur, id-

que ut efficiant, nullum iniquitatis, nullum  
corruptelae, nullum largitionis genus praeter-  
mittunt. Obnunciationibus autem Comitorum  
dies tollebantur. Vide epist. ad Qu. fratrem,  
cuius est initium, Occupationum mearum.

TEVCRIS illa lentum sane negotium: neque CORNELIVS ad TERENCEM postea  
rediit; opinor, ad CONSIDIUM, AXIVM, SELICIVM confugiendum est;  
nam a CAECILIO proprinqui minore centesimis nummum movere non possunt; sed  
ut ad prima illa redeam, nihil ego illa impudentius, astutius, lentius vidi; liber-  
tum mitto; TITO mandavi; σκλήψεις, atque ἀναβολαί; sed nescio, an ταυτομάτων  
ἡμῶν; nam mihi POMPEIANI prodromi nuntiant, aperte POMPEIVM actu-  
rum, ANTONIO succedi oportere: eodemque aget Praetor ad populum; res eius-  
modi est, ut ego nec per bonorum, nec per popularem existimationem honeste pos-  
sim hominem defendere; nec mihi libeat, quod vel maximum est; etenim accedit  
hoc, quod totum cuiusmodi sit, mando tibi, ut perspicias. Libertum ego habeo;  
sane nequam hominem, Hilarem dico, ratiocinatorem, & clientem tuum; de  
eo mihi VALERIVS Interpres nuntiat, CHILIVSque se audisse scribit haec;  
esse hominem cum ANTONIO; ANTONIVM porro in cogendis pecuniis dictitare,  
partem mihi quaeri, & a me custodem communis quaestus libertum esse missum;  
non sum mediocriter commotus: neque tamen credidi: sed certe aliquid sermonis  
fuit; totum investiga, cognosce, perspice, & nebulonem illum, si quo pacto po-  
tes, ex istis locis amove; huius sermonis VALERIVS auctorem CN. PLANCIVM  
nominabat; mando tibi plane, totum, ut videas, cuiusmodi sit. POMPEIVM  
nobis amicissimum constat esse. Divortium MUTIAE vehementer probatur. P.  
CLODIVM, APPII filium, credo te audisse, cum veste muliebri deprensus do-  
mi C. CAESARIS, cum pro populo fieret, eumque per manus servulae ser-  
vatum, & eductum; rem esse insigni infamiae: quod te moleste ferre certo scio.  
Quod praeterea ad te scribam, non habeo; & me hercule eram conturbatio-  
nam puer festivus, anagnostes noster, SOSITHEVS decesserat, meque plus, quam  
servi



*servi mors debere videbatur, commoverat. Tu velim saepe ad nos scribas; si rem nullam habebis, quod in buccam venerit scribito. Kal. Ianuar. M. MESSALA, M. PISONE COSS.*

## IN DECIMAM EPISTOLAM.



*Teucri illa lentum sane negotium.]* Epistolam hinc decimam facio: superioris siquidem pars esse non potest; scripta enim illa est, antequam Consul designatus esset, haec vero gesto iam Consulatu; agebatur enim iam tum de revocando Antonio ex Macedonia, quo ille ex Consulatu missus fuerat. Antonium autem collegam Ciceronis fuisse dubium nemini est. Nunc ad rem. M. Tullius domum in palatio, quae M. Crassi fuerat emerat: ad quam emptionem usus amicorum pecunia est. *Epistola enim sequente scriptum sic est, Messala consul Antronianam domum emit HS. CXXXVII. quid id ad me, inquires? tantum, quod ea emptione & nos bene emisse iudicati sumus, & homines intelligere coeperunt, licere amicorum facultatibus in emendo ad dignitatem aliquam pervenire.* Et in epistola ad P. Sestium pro quaestore ita scribit, *Ego tua gratulatione commotus, quod ad me pridem scripseras, velle te bene evenire quod de Crasso domum emissem, emi eam ipsam domum HS. XXV. aliquanto post tuam gratulationem. Itaque nunc scitum tantum me aeris alieni habere, ut cupiam coniurare si quispiam me recipiat.* Cum ergo Ciceroni pecunia deesset, a Teucride petiit, a qua produci se queritur. *Lentum ergo negotium est Teucris, quae pecuniam non expedit. Quam autem Teucridem vocet, non possumus divinare. Teucrum in Cypro regnasse memoriae proditum est; ut mulierem ditam, quae totam Cyprum in suis nummis haberet, non male Teucridem appellatam existimare possimus, tanquam Cypri reginam. Regum maximae natu filiae ἀνασσαί appellabantur, & sceptrum gestabant. Vnde VIRGILIUS, Sceptrum Ilione quod gesserat olim Maxima natarum Priami. Locum corruptum esse suspicari non possumus, epistola enim sequente, verba haec eadem repetit, Teucri illa lentum negotium, sed tamen est in spe. Et sequente deinceps epistola, Teucri promissa patravit.*

*Neque Cornelius postea ad Terentiam rediit.]* Cicero ad petendam pecuniam Terentiam interposuerat: Credo quod mulieres inter se facilius congruunt: Terentia autem Cornelium quendam: qui quoniam ad Terentiam non redibat, res videbatur desperata. M. cuiusdam Cornelii meminit M. TULLIUS initio epistolae sequentis. Quinti vero Cornelii in epistola ad P. Sestium quam paulo ante citabamus, *Sed posteaquam, inquit, & Cornelia tua Terentiam convenit, &*

*ego cum Qu. Cornelio locutus sum.*

*Opinor ad Axiium, Selicium, Confidium confugiendum erit.]* Axius, Confidius, Selicius tres foeneratores, quorum meminit SENECA. Opinor, inquit, quando quidem in Teucride tam parum est spei, petendam pecuniam esse ab Axio, Selicio, Confidio. Nam Caecilius avunculus tuus ne propinquis quidem minore centesimis nummum dare vult. *Usurae centesimae sunt, quae mensibus centum sortem aequant. Ut centum aurei annis fere octo alios centum reddant. Vide BUDAEVUM in annot. in Pandectas.*

*Libertum mitto, Tito mandavi, σκῆψεις atque ἀναβολὰς: sed nescio an ταυτοματών ἡμῶν.]* Quo libertum mittebat Teucris? quid porro Tito mandaverat? an libertum ad exigendas syngraphas mittebat? An T. Pomponio ut pecuniam sibi aliquam curaret? quemadmodum foenerator foeneratori solet, quoniam fere alii in aliorum vicissim nominibus sunt. Meras inquit, causas atque procraftinationes, sed tamen ad extremum vereor, ne non det, & nos vana spe produxerit.

*Nam mihi Pompeiani prodromi nuntiant.]* Ante haec verba quaedam deesse videntur. Quid enim? ideone verebatur Cicero ne deciperetur a Teucride, quia Pompeiani prodromi nuntiarent Pompeium aperte acturum, ut Antonio succederetur? *Prodromos autem Pompeianos dicit, qui ex Asia decesserant ante Pompeium: unde ille in dies expectabatur bello Mithridatico confecto. Nunciabant ergo Prodromi Pompeiani, Pompeium aperte acturum, ut Antonio succederetur. Nam cum C. Antonius totam Achaiam spoliaret, & vexaret, verisimile est Achaeos suas querimonias ad Cn. Pompeium, qui in proximis locis bellum gerebat detulisse. Prodromos CAESAR antecursores vocat.*

*Nec per popularem existimationem honeste possum hominem defendere.]* Honestè possum absentis causam tueri & agere, ne ei successor mittatur. CICERO tamen in epistola ad P. Sestium iam antea a nobis citata, a se Antonium in senatu defensum scribit iis verbis, *Antonium etsi eius in me officia omnes desiderant, tamen in senatu gravissime ac diligentissime defendi: senatumque vehementer oratione mea atque auctoritate commovi.*

*Hilarem dico ratiocinatorem & clientem tuum.]* Hilarum scribendum est, ut nomen proprium sit liberti: Sic enim libro XIII. Commodum discesserat Hilarus librarius. Quo eodem nomine Libonis quidam fuit libertus, cuius CICERO meminit



minit lib. xvi. iis verbis, *Libo intervenit: is Philonem Pompeii libertum & Hilarum suum libertum venisse, &c. Ratiocinatores, sunt qui rationes subducunt & conficiunt.*

*Valerius interpres.]* Qui nobis linguas ignotas interpretantur interpretes dicuntur. CICERO pro Balbo, Publicum Menandrum hominem libertinum legati nostri in Graeciam proficiscentes interpretem habere voluerunt. Idem lib. in Verrem vi. quem ego quartum facio, Cum Valentio eius interpreti epistola Agrigento allata esset. Est etiam interpres quem Graeci proxenetam vocant.

*Partem mihi quaeri.]* Quem ille sibi defensorem pararet.

*Pompeium nobis amicissimum esse constat.]* Cui homines suspicabantur non placere Ciceronis Consulatum.

*Divortium Mutiae vehementer probatur.]* Ex Asia rediens Pompeius, ubi Italiam attigit Mutiae uxori, quae se absente pudicitiae non sat memor fuerat, libellum repudii misit. Vide PLVTARCHVM in Pompeio.

*P. Clodium Appii F. credo te audisse cum veste muliebri deprensam domi C. Caesaris cum pro populo fieret.]* Hac de re Vide PLVTARCHVM in C. Caesare. CICERO in oratione de Haruspicum responsis, Etenim quod sacrificium tam vetus est, quam hoc, quod a regibus aequale huic urbi accepimus? quod autem tam occultum, quam id

quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam errantes: quo non modo improbitas, sed ne imprudentia possit intrare? quod quidem sacrificium nemo unquam ante P. Clodium ex omni memoria violavit, nemo unquam adiit, nemo neglexit, nemo vir aspicere non horruit, quod fit per virgines Vestales, fit pro populo Romano, fit in ea domo quae est cum imperio, fit incredibili ceremonia, fit ei deae cuius ne nomen quidem viros scire fas est. Quam iste idcirco bonam dicit, quod sibi in tanto scelere ignovit. Sacra ergo bonae deae fiebant in ea domo, quae esset cum imperio, hoc est, aut in Praetoris domo, aut Consulis: quibus solis fasces COS. XII. Praet. VI. quae imperii erant insignia, praeferebantur: Praetores enim ut collegae Consulium rogabantur. CICERO libro harum epistolarum nono, Nos autem in libris habemus non modo COS. a Praet. sed ne Praetores quidem creari ius esse: idque factum esse nunquam: COS. eo non esse ius, quod maius imperium a minore rogari non sit ius: Praetores autem, cum ita rogentur, ut Collegae Consulium sint, quorum est maius imperium. Domi autem Praetoris potuisse fieri bonae deae colligimus ex iis PLVTARCHI verbis, Cum igitur dies sacrorum advenit, vir sive Praeturam, seu consulare gerat imperium, cuncti una mares domo excedunt. Praetore ergo Caesare id evenit.

*Per manus servulae servatum & educum.]* Vide PLVTARCHVM in C. Iul.

ACCEPI tuas tres iam epistolas, unam a M. CORNELIO, quam a tribus Tabernis, ut opinor, ei dedisti; alteram, quam mihi Canusinus tuus hospes reddidit; tertiam, quam, ut scribis, anchora soluta de phaselo dedisti; quae fuerunt omnes rhetorum; pure loquuntur, cum humanitatis sparsae sale, tum insignes amoris notis; quibus epistolis sum equidem abs te laceffitus ad scribendum; sed idcirco sum tardior, quod non invenio fidelem tabellarium; quotus enim quisque est, qui epistolam paulo graviorem ferre possit, nisi eam pellectione releverit? accedit eo, quod mihi non est notum, ut quisque in Epirum proficiscatur; ego enim te arbitror, caesis apud Amaltheam tuam victimis, statim esse ad Sicyonem oppugnandum profectum; neque tamen id ipsum certum habeo, quando ad ANTONIVM proficiscare, aut quid in Epiro temporis ponas; ita neque Achaicis hominibus, neque Epiroticis paulo liberiores literas committere audeo: sunt autem post discessum a me tuum res dignae litteris nostris, sed non committendae eiusmodi periculo, ut aut interire aut aperiri, aut intercipi possint. Primum igitur scito, primum me non esse rogatum sententiam, praepositumque esse nobis pacificatorem Allobrogum, idque admurmurante Senatu, neque me invito esse factum; sum enim & ab observando homine perverso liber, & ad dignitatem in Rep. retinendam contra illius voluntatem solutus: & ille secundus in dicendo locus habet auctoritatem paene principis, & voluntatem non minus devinctam beneficio Consulis. Tertius est CATVLVS, quartus (si etiam hoc quaeris) HORTENSIVS. Consul autem ipse parvo animo & pravo, tantum cavillator genere illo moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur, facie magis, quam facetiis, ridiculus, nihil

G g g g g

agens



agens cum *Repub.* seiunctus ab optimatibus: a quo nihil speres boni *Reip.* quia non vult; nihil metuas mali, quia non audet; eius autem collega & in me perhonorificus, & partium studiosus, ac defensor bonarum; quin immo leviter inter se dissident. Sed vereor, ne hoc, quod infectum est, serpat longius; credo enim te audisse, cum apud CAESAREM pro populo fieret, venisse eo muliebri vestitu virum; idque sacrificium cum virgines instaurassent, mentionem a Q. CORNIFICIO in Senatu factam: (is fuit princeps; ne tu forte aliquem nostrum putes) postea rem ex S. C. ad virgines, atque pontifices relata, idque ab iis nefas esse decretum: deinde ex S. C. Consules rogationem promulgasse; uxori CAESAREM nuntium remisisse. In hac causa PISO, amicitia P. CLODII ductus, operam dat, ut ea rogatio, quam ipse fert, & fert ex S. C. & de religione, antiquetur. MESSALLA vehementer adhuc agit severe; boni viri precibus CLODII remouentur a causa; operae comparantur, nosmet ipsi qui Lycurgei a principio fuissimus, quotidie demitigamur; instat & urget CATO. Quid multa? vereor, ne haec neglecta a bonis, defensa ab improbis, magnorum *Reipubl.* malorum causa sit. Tuus autem ille amicus, (scin quem dicam?) de quo tu ad me scripsisti, postea quam non auderet reprehendere, laudare coepisse, nos, ut ostendit, admodum diligit, amplectitur, amat, aperte laudat; occulte, sed ita ut perspicuum sit, invidet; nihil come, nihil simplex, nihil ἐν τοῖς πολιτικοῖς honestum, nihil illustre, nihil forte, nihil liberum. Sed haec ad te scribam alias subtilius; nam neque adhuc mihi satis nota sunt: & huic, terrae filio, nescio cui, committere epistolam tantis de rebus non audeo. Provincias Praetores nondum sortiti sunt; res eodem est loci, quo reliquisti. τοποθεσίαν, quam postulas, Miseni, & Puteolorum, includam orationi meae. A. D. III. Non. Decemb. mendose fuisse animadverteram. Quae laudas ex orationibus, mihi crede, valde mihi placebant: sed non audebam antea dicere; nunc vero, quod a te probata sunt, multo mihi ἀτιμώτερον videntur; in illam orationem Metellinam addidi quaedam; liber tibi mittetur, quoniam te amor nostri φιλοφύτορα reddidit. Novi tibi quidnam scribam? quid? etiam. MESSALLA Consul Antronianam domum emit H-S CCCCXXXVII. quid id ad me, inquires? tantum, quod ea emptione & nos bene emisse iudicati sumus: & homines intelligere coeperunt, licere amicorum facultatibus in emendo ad dignitatem aliquam pervenire. TEVCRIS illa lentum negotium est, sed tamen est in spe; tu ista confice; a nobis liberiore epistolam expecta. VI. Kalend. Febr. M. MESSALLA, & M. PISONE, COSS.

## IN VNDECIMAM EPISTOLAM.



tribus tabernis.] Locus est via Appia. CICERO libro II. *harum epistolarum*, Sed vide, inquit, συγκύρημα: emerferam commodum ex Antio in Appiam ad tres tabernas, cum in me incurrit Roma veniens Curio meus.

Canusinus tuus hospes.] Apud quem Canusii divertisti. Est autem Canusium in Apulia prope Cannas.

Nisi eam per lectionem releverit.] Ego scriptum fuisse puto, Nisi ea per lectionem se levabit. Ita VIRGILIUS dixit, Cantantes ut eam ego hoc te fasce levabo. Solent ergo tabellarii, qui suspicantur literas se de rebus gravibus fer-

re, eas aperire, quas ubi legerunt videntur quodammodo onere levati. Nisi velis epistolam per lectionem relevari, quoniam lecta, fiat nescio quomodo levior. Sed ego eos qui onus ferunt levare, ipsa onera levare, non puto dici.

Ego enim arbitror caesis apud Amaltheam tuam victimis, statim esse ad Sicyonem oppugnandum profectum.] Imperatores aliquam expeditionem suscepturi, dis prius sacrificabant. Ita ergo de Attico loquitur, quasi de Imperatore non de foeneratore loquatur. Sicyonios Attico debuisse pecuniam intelligimus ex epistolis duabus postremis huius libri & prima secundi, ad quam exigendam non proficiscuntur foeneratores,